EXAMEN
CONFESSARIORUM
SEU COMPENDIUM
THEOLOGIÆ MORALIS

PRO IIS QUI APPROBANDI SUNT
AD EXCIPIENDAS SACRAMENTALES CONFESSIONES

PER
AGNELLUM PORPORA
INSIGNIS COLLEGIATÆ S. JOANNIS MAJORIS CANONICUM
HUJUSQUE DIŒCESIS EXAMINATOREM

AD USUM SUÆ ACADEMIÆ DISPOSITUM.

EDITIO TERTIA

PERQUAM PERPOLITA ET AUCTA.

IN FINE ADDITUR R. D. JOSUE DE COSTANZO
EJUSDEM DIŒCESIS EXAMINATORIS PRO-SYNODALIS
TRACTATUS DE MONIALIBUS.

VOLUMEN IV.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA TRAMATER
Via vulgo dicta Pallonetto S. Chiara *n.° 8.*
MDCCCXXXIII.

APPENDIX II.

DE VARIIS DIVERSORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS.

SECTIO I.

DE CONJUGIBUS.

1. *AD quid tenentur conjuges?*

Tenentur 1. mutuam præstare fidem, subsidium, atque assistentiam. 2. Vir uxorem uti sociam tractare atque defendere: uxor viro obedire in iis, quæ ad domus gubernationem, et bonos mores spectant. 3. Simul cohabitare in eadem domo, mensa, et lecto. 4. Vir tenetur juxta proprium statum uxori præbere quidquid necesse est honestæ sustentationi (*a*).

2. *An teneatur uxor maritum sequi domicilium mutantem?*

Maxime; modo justa de causa sit illa mutatio, et non accidat uxori graviter incommoda; et modo aliter non sit in pactis matrimonialibus conventum (*b 1*).

3. *Valetne hujusmodi pactum?*

Probabilius valet; quoniam contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur (*c*). Intelligitur, nisi gravis causa de novo superveniens id necessario exigat.

4. *An teneatur uxor virum sequi in exilium missum?*

Alii negant; quia non tenetur uxor innocens viri pœnam subire: alii vero probabilius affirmant; uxor enim tenetur, si non pœ-

(*a*) *Ex variis Scripturæ locis, cap.* Litteras 13. *de restit. spoliat. cap.* Pervenit 1. Quoniam 2. *de conjugio lepros. et alibi* [*art. 201. 202. et 203.*]

(*b*) *Can.* Unaquæque 3. *caus.* 13. *q.* 2. *cap. cit.* Pervenit [*cit. art.* 203.] *aliubique.*

(1) Habetur justa causa, cum talis mutatio necessaria sit ad gubernationem familiæ, ad bona servanda, ad malum effugiendum etc. si vir sit a principe missus etc. *arg. ex can. 4. caus. 34. q. 2.*

Erit uxori graviter incommoda mutatio, si adsit periculum salutis, vitæ, pudicitiæ, magnæ bonorum jacturæ etc. *arg. ex cit. can.*

(c) *Regul. 85. Juris in 6. et alibi.*

nam subire, infortunium tamen viri sufferre. Adde, modo id non sit uxori valde incommodum.

5. *Obligaturne vir uxorem sequi domicilium mutantem?*

Obligatur, si uxor ex causa necessaria cogatur domicilium mutare; nam quoad mutua conjugalia obsequia vir et uxor pares sunt (*d*). Dixi *ex causa necessaria etc.* alias non tenetur vir eam sequi; immo nequit ipsa a viro discedere.

6. *Tenetur uxor nobilis viro præcipienti præstare officia vilia, puta cibos condire, domum verrere etc?*

Probabilius non tenetur: uxor enim est socia, non famula.

7. *Teneturne vir uxorem alere, si eam sine dote duxit?*

Distingue: Si vir sine dote eam ducere voluit, tenetur eam alere; quia sibi imputare debet, quod dotem non accepit (2). Si vero fuit ei dos promissa, sed non soluta, adhuc tenetur eam alere (licet aliqui aliter sentiant), quando ista sub viri est obsequio; quippe quæ principale est familiæ membrum, et unum facit cum viro: si vero non est uxor ista sub viri obsequio, tunc non tenetur vir eam alere, si culpa promittentis non est dos soluta; non ratione dotis, quam nullam accepit; non ratione obsequii, quod deest in casu. Dixi *culpa promittentis etc.* nam alias putarem obligari virum ex æquitate naturali uxori indigenti stricta alimenta præbere, præsertim si culpa sua vir dotem non accepit; quia uxor semper est uxor, licet delinquens, et per eam non stetit quominus vir dotem acceperit.

8. *An mulier obligetur viro alimenta præstare?*

Maxime, saltem ex charitate, si vir sit pauper.

9. *Potestne vir justa de causa uxorem castigare?*

Moderate potest, non solum verbis, sed aliquando etiam ex gravi causa moderatis verberibus; quia uxoris est caput; habita tamen ratione conditionis, status, circumstantiarum etc. (3*)

(*d*) *Ex cap. cit.* Pervenit.

(2) Uxor tamen bona paraphernalia habens obligatur usque ad tertiam partem suorum redituum contribuere ad matrimonii onera ferenda, si in contractu matrimonii nullum adsit pactum eam obligans ad aliquam sustinendam istorum onerum partem [*art. 1388*].

(3) De aliis conjugum juribus et obligationibus dictum est in aliis locis, et præsertim tract. IV. num. 205. 218. et sequent. 290. 291. 307. tract. V. num. 57. tract. VI. num. 133. tract. VII. num. 87. tract. IX. num 32. et sequent. append. V. num. 10. et 13. tract. XIII. part. II. cap. IV.

(*) Ex dictis colligitur graviter peccare uxorem 1. Si quid notabile expendat con-

SECTIO II.

DE PARENTIBUS, FILIIS, ALIISQUE CONJUNCTIS.

10. AD quid tenentur parentes?

Gravi obligatione tenentur filiorum conservationem et educationem curare, et naturalem et spiritualem: uti constat ex jure tam naturali, quam positivo divino et humano.

11. Quænam officia filiis præstare obligantur parentes ratione curæ naturalis?

Sequentia: 1. Ut detrimenta corporalia a filiis removeant, quantum moraliter fieri potest. 2. Ut eisdem congruam tribuant sustentationem, idest victum, vestitum, lectum, habitationem, medicinas etc. donec filii non habeant unde possint sibi alimenta præstare. 3. Ut filios in honesto vitæ statu collocare studeant. Ad hæc omnia primo loco tenetur pater (*e* ✠).

12. Teneturne pater filiis naturalibus aut spuriis alimenta præbere?

Maxime; quia verus est pater, etsi non legitimus (*f*).

---

tra viri rationabilem voluntatem; nisi sit de bonis ipsius uxoris. 2. Si spreto viro, imperium sibi vindicet. 3. Si nolit absque justa causa virum sequi. 4. Si ei in materia gravi obedientiam non præstet circa ea, quæ bonos spectant mores, familiæque gubernationem. 5. Si viro pauperi alimenta neget, etc. Maritus vero graviter peccat 1. Si uxorem impediat ab observatione legis Dei vel Ecclesiæ. Si autem sine justa causa impediat a bonis consilii, probabilius peccat leviter: at graviter peccat, si constet, quod magnam ex iis bonis utilitatem uxor percipiat. 2. Nisi curet, ut uxor ab illicitis et periculosis se abstineat. 3. Si graviter eam cædat. 4. Si alimenta sine causa ei neget, aut non procuret. 5. Si uxori non cohabitet, vel diu sine causa justa absit etc.

Nota. Peccata alicujus conjugis adversus alium majorem induunt malitiam, immo novam ob pietatem, quam lædunt. Idem est de aliis conjunctis.

(*e*) *Ex jure naturali, et ex innumeris Scripturis, ac utriusque juris locis.*

(✠) Quare graviter peccant parentes etiam contra pietatem 1. Si alicui abortus periculo prolem exponunt. 2. Si non curant, ut proles sine vitio et feliciter nascatur, adolescat, et a periculis sit procul. 3. Si filiis congruam sustentationem injuste denegant. 4. Si propria bona dissipant, aut cum possint, aliquid acquirere negligunt cum damno filiorum. 5. Si competentem dotem filiæ sine justa causa negant: et idem dici potest de patrimonio ad sacros ordines suscipiendos. 6. Si non curant, quod filii aliquam artem vel scientiam addiscant, aut honestam applicationem adsumant, ut ita in posterum honeste vivere possint.

(*f*) *Cap.* Cum haberet 5. *de eo, qui duxit etc. et alibi* [*art. 678. et 679*].

13. Quid, si pater impos sit ad alimenta præstanda, vel ad dotem dandam?

Ejus defectu ad alimenta tenetur avus aut proavus paternus; postea mater. Ad dotem vero defectu patris tenetur avus paternus, dein mater (*g 4*).

14. Teneturne mater propria ubera proli præbere?

Maxime jure naturali; ad hoc enim, non ad libidinem, uberibus et lacte a natura donantur. Mater sine justa causa per aliam nutricem supplens, peccat saltem venialiter (*h*); et ipsa tenetur ad nutricis expensas. Si vero justa de causa non possit ipsa prolem lactare, tunc pater obligatur ad lactationis expensas.

15. Tenenturne parentes filiam dotare contra eorum voluntatem nuptam?

Inter varias Theologorum sententias probabilius sic est distinguendum: Si hæc filia ætate est major, tenentur parentes eam dotare, etiamsi indigno nupserit, modo parentes in mora culpabili fuerint eam tradendi viro digno; tunc enim sibi imputent, quod nupserit indigno. Si vero filia minor est, et nupserit digno, juxta plurimos etiam tenentur eam dotare; quia nubere digno non est dedecus parentum: quod si filia minor nupserit indigno, aut quovis alio modo sit res, parentes obligantur ei alimenta tradere, si hisce filia indigeat; quia semper filia, et hæc est naturæ vox (*5*).

16. Peccantne parentes, qui filios exponunt?

Peccant graviter, si hoc faciunt sine urgenti et rationabili causa; tum quia contra jus naturæ est propriam prolem abjicere; tum quia sic prolem multis incommodis et ærumnis afficiunt, et efficiunt, ut proles perpetuo dedecore notata vivat: merito igitur lege cano-

(*g*) *Ex variis locis jur. rom.* [*art. 193. et 194*].

(*4*) Regiis litteris Ferdinandi I. olim IV. sub die 27. Maji 1779. et 17. Martii 1787. in nostro regno sancitum est ex naturali jure patruos et propatruos per regias curias cogendos esse ad alimenta præstanda fratrum filiis vel nepotibus pauperibus in defectu patris, matris, avi paterni, et materni. Hinc ex eodem naturali jure defectu matris tenetur avus, aliique ascendentes materni, *l. 5. §. 5. et l. 8. D. de agnosc. et alend. liberis etc.* [*art. 195. et 196*].

(*h*) *Ex can.* Ad ejus *4. dist. 5.*

(*5*) Item tenentur parentes filium alere, qui eis invitis nuptias iniit, si alimentis egeat; et juxta communem sententiam tenentur quoque uxorem filii indigentem alere.

nica, et romana patria potestate privantur (*i*). Interveniente urgenti et rationabili causa, non peccant; tunc enim sibi vel proli consulunt, non vero naturæ ac pietati renuntiare intendunt.

17. Quandonam habetur hujusmodi urgens et rationabilis causa?

Quando vera adest impotentia prolem alendi; vel necessitas infamiæ vitandæ, delicti celandi, aut pœnæ declinandæ; vel quando longissimo et periculoso parentum necessario itineri impedimento esset proles: ita communiter (*6*).

18. Parentes filium exponentes, tenenturne hospitali aliive loco ad id erecto expensas restituere, pro ipso filio alendo ab eodem loco factas?

Respondeo cum distinctione: Si parentes id temporis erant pauperes, ad hanc restitutionem non tenentur; ea enim fuit fundatorum intentio, ut ibidem filii pauperum alerentur. Si vero divites erant, mirifice variant Doctores. In tanto sententiarum divortio illud magis placet, non esse prædictas expensas restituendas, si justa de causa parentes filium exponunt; et quia talia loca non tantum ob pauperes, sed ad alia quoque damna et pericula vitanda plerumque sunt fundata; et quia liberaliter expensæ illæ expositis donantur, inspecta solum eorum præsenti necessitate, absque alia consideratione ad parentes; et quia dicta loca intuitu misericordiæ et pietatis expositis alimenta præbent propter Dei amorem, et non animo repetendi; et demum quia facto constat non repetere dicta loca expensas istas a parentibus divitibus. Dixi *si justa de causa etc.* alias probabilius obligantur parentes; quia tunc peccant, et absque causa hoc dispendium dictis locis afferunt. At hæc omnia intelligantur, nisi alia sit fundatorum expressa voluntas.

19. Quænam officia parentes filiis ratione spiritualis curæ præstare tenentur?

Ut verbo, exemplo, instructione, idonea correctione, aliisque debitis modis sedulo curent filiorum spiritualem salutem (✠).

(*i*) *Cap.* Si a patre *un. de infantibus et languidis expos. l.* Necare *4. D. de cognosc. et alend. liber. etc. l.* Unusquisque *2. et* Sancimus *4. C. de infant. expos. etc.*

(*6*) Parentes justa de causa filium exponentes observare debent locum, tempus, aliasque circumstantias, et aliquo signo eum notare, ut possint in posterum illius notitiam habere causa ei consulendi, necessitate cessante.

(✠) Quare graviter peccant 1. Si nihil aut parum curant filiorum baptismum. 2. Si

20. *Quid obligantur filii exhibere parentibus ?*

Amorem, Reverentiam, Obedientiam, et in necessitate subsidium: uti constat ex omni jure.

21. *Qualis esse debet hujusmodi amor ?*

Specialis, et sincerus: quatenus ex corde debent filii parentes diligere, eos adjuvare; quæ sunt parentum curare, quæ parentibus jure displicent vitare, quæ eis jure placent agere, eorum defectus patienter tolerare etc. (✠)

22. *Ad quid obligantur filii ob reverentiam et observantiam parentibus debitam ?*

Obligantur quodam venerabundo timore parentes prosequi, honorifice et reverenter de eis loqui, humiliter cum eis versari, eorum admonitiones correctionesque humiliter accipere etc. (✠✠)

filios in bonis moribus, et necessariis ad salutem per se aut per alium non instruunt. 3. Si peccandi occasiones et pericula ab ipsis non removent. 4. Si filiarum amorem, amicitiam, liberam conversationem, vel perniciosos in vestibus, ornatu etc. abusus permittunt. 5. Si Sacramentorum frequentiam, atque legis observantiam ab eis non exigunt. 6. Si a progressu virtutum eos revocant. 7. Si vitiosos filios non monent, non corrigunt, non puniunt discrete, vel si puniunt indiscrete. 8. Si eos honestum statum assumere injuste impediunt, aut injuste cogunt.

(✠) Contra hujusmodi amorem graviter peccant filii 1. Si interius oderunt parentes, vel odii signa eis ostendunt. 2. Si aspere eos tractant, aut torvo oculo fere semper intuentur, aut aspere loquuntur. 3. Si malis artibus parentes impediunt, ne testamentum faciant. 4. Si preces et sacrificia pro parentibus offerri negligunt etc.

(✠✠) Quare mortaliter peccant 1. Si parentes, etsi leviter, percutiant, vel percutere minentur, aut manum ad percutiendum deliberate attollant. 2. Si eis præsentibus deliberate maledicant, subsannent, aut deridendos aliis exhibeant: hinc a mortali non excusatur, qui parentem vocat *Pazzo*, *Ubbriaco*, *Bestia*, *Strega*, *Ladro etc.* Contra qui eum vocaret *Vecchio*, *Stordito*, *Ignorante*, et similia, probabilius non peccat graviter, nisi parens graviter de his verbis offendatur. Dixi *deliberate*; sæpe enim excusantur a mortali ob actus indeliberationem. Insuper dixi *eis præsentibus;* nam in eorum absentia eis maledicere, aut subsannare probabilius non est mortale, nisi aut ex animo malevolo, vel cum magno contemtu, aut eo fine, ut talia verba parenti deferantur. Et hic nota teneri filium, qui parentem offendit, ab eo veniam petere; et coram illis qui injuriæ fuerint præsentes. Ad hæc eum adstringat Confessarius sua prudentia (si hujusmodi actus commode exigi possit) antequam absolvat, nisi alias videatur. 3. Si absque justa causa parentes graviter contristent, vel ad gravem iram provocent, quidquid aliqui dicant. 4. Si parentes pauperes despiciant, vel agnoscere nolint sine justa causa. Justa erit causa, si grave filius passurus esset damnum, si parentes infami crimine essent noti: et secundum aliquos si tantum exterius, sine interno contemtu filius dissimularet parentes agnoscere, excusantur a gravi culpa; modo eos de necessariis provideant. 5. Si in foro externo de crimine, etiamsi vero, parentes accusant: excepto crimine hæresis, proditionis contra statum, aut si adsit damnum commune etc.

23. *Quid exigit obedientia parentibus præstanda?*

Ut filius lubenti animo in omnibus, quæ justa et rationabilia sunt, parentum voluntati obsequatur; et dum eorum gubernationi subest, nihil aggrediatur grave, insciis illis (*).

24. *Ad quænam tenentur filii ratione subsidii parentibus debiti?*

Parentibus in quavis necessitate, sive spirituali sive temporali, pro sua facultate subvenire (k**7).

25. *Teneturne filius ob parentum necessitatem ab ingressu Religionis abstinere?*

Distinguo: Si filius nullo modo manere possit in sæculo sine gravi proximo peccandi periculo, tunc nequit a Religione abstinere, quæcunque sit parentum necessitas; quia temporali parentum vitæ præferri quidem debet spiritualis salus filii (*l*). Extra allatum casum, si filius in sæculo manens nullo modo parentum necessitati succurrere possit, licite Religionem ingreditur; nam ad inutile nemo tenetur. Si autem in sæculo manens possit subvenire parentibus, subdistinguo: si parentum necessitas est communis, scilicet possunt parentes sine filio aliqualiter sustentari, non tenetur

---

(*) Contra obedientiam graviter peccant filii 1. Si in re gravi non exequuntur ea, quæ parentes serio jubent circa familiæ gubernationem, bonos mores, animæ salutem etc. At aliquoties a mortali excusantur, si ex negligentia in dictis non obtemperant. 2. Si contra parentum voluntatem matrimonium contrahunt cum indigno vel indigna, quæ nempe juxta regionis usum dedecore esset. 3. Si absque justa causa nolint matrimonium contrahere cum persona, quam parentes volunt, præsertim si id opus esset ad sopienda odia, ad familiæ vel parentibus consulendum etc. Erit justa causa, si sit impar familiæ, infirma, deformis, fatua, immòrigera etc. persona, quam volunt parentes. 4. Si, parentibus inconsultis, nubant etc. De hoc relege dicta in XIII. tract. num. 28. cum (*14*) ac 29.

Obiter nota, non teneri filium parentibus parere, si velint eum injuste impedire a statu, ad quem vocatur, vel ad statum cogere, ad quem non vocatur. Dixi *injuste etc.* secus enim dicendum est, si justa de causa id agant parentes. Vide dicta. loc. cit.

(*k*) *L.* Parentum *1. et* Competens *2. C. de alend. liber. etc. l.* Cum non solum *ult. §. 5. C. de bon. quæ liber. etc. ac. l.* Filia tua *5. C. de patr. potest.*

(**) Hinc graviter peccant si indigentibus parentibus alimenta non præbent; si eos infirmos non curant; si vexatos, cum possint, non tuentur; si eos vitiosos reverenti et prudenti modo ad meliorem frugem adducere non conantur; si non curant, ut parentes in articulo mortis Sacramenta suscipiant, et in Domino moriantur etc.

(7) Hucusque dicta a filiis præstanda parentibus, habita proportione præstare quoque tenentur avis, proavis, aliisque adscendentibus pro cujusque gradu: et de alimentis adest etiam legis civilis dispositio, *ex var. ll. jur. rom.* [*art. 195.*]

(*l*) *D. Thom. Quodlib. 10. a. 9. et alii.*

ob hoc filius a Religione abstinere; quia non obligatur filius perfectiora omittere ad meliorem reddendam parentum conditionem: at si parentum necessitas sit extrema aut gravis, tunc nequit filius Religionem ingredi; prævalet enim jus naturæ parentibus subveniendi (*m 8*).

26. *Quid si filius professionem jam emiserit?*

Inter varias DD. opiniones ex meliori ratione sic est distinguendum: Si filius in Religione manendo, meliori, quo potest, modo queat parentes alere, monasterio egredi non potest; tunc enim utrumque, et statum suum, et obligationem alendi parentes potest servare. Si autem nequeat, nisi monasterio egressus, parentes alere, tunc in extrema necessitate tenetur egredi, petita, licet non obtenta, licentia; urget enim lex naturalis: in gravi vero necessitate probabilius egredi nequit, nisi obtenta licentia; quoniam jam statum suscepit, in quo Religioni magis quam parentibus adhærere tenetur (*n 9*). Intelligantur ista, si filius possit ita parentibus subvenire, et periculo non subeat gravi et proximo peccandi in sæculo.

27. *Quænam invicem præstare tenentur consanguinei, et affines?* Mutuum amorem et subsidium, ex charitate non solum, sed etiam ex pietate (*10*).

SECTIO III.

DE PATRIBUS ET FILIIS SPIRITUALIBUS, ALIISQUE, QUI PARENTUM ET FILIORUM NOMINE VENIUNT.

28. *Quid animarum Pastores præstare obligantur?*

Fidelibus sibi commissis præbere exemplum bonorum ope-

(*m*) *Idem ibid. et 2. 2. q. 189. a. 6. in corp.*

(*8*) Et hoc etiamsi filius votum habeat Religionem ingrediendi: quod votum suspensum est, durante parentum necessitate.

(*n*) *D. Thom. loc. cit. et 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4. Quodlib. 3. a. 16. ac Quodlib. 10. a. 9. aliiq. quamplurimi.*

(*9*) Filius ob dictam rationem monasterio egressus tenetur illud reingredi, parentum necessitate cessante.

Permulta alia de obligationibus et juribus parentes inter et filios reperies tract. IV. n. 292. et 293. tract. VI. n. 1. 133. tract. VII. n. 83. et seq. tract. IX. n. 20. et seq. tract. XIII. n. 13. et 14. append. V. et VI. in variis num.

(*10*) Fratres et sorores corporis vitio aut animi debilitate impares ad victum quærendum, jus habent alimenta petendi a suis fratribus et sororibus (*art. 197*).

rum, Sacramenta, pabulum verbi Dei; pro eis orare, et in festis Sacrificium offerre; in loco beneficii personaliter residere; publica peccata corrigere, et subditorum inquirere mores; scandala, occasionesque peccandi ab eis removere; pauperum, atque infirmorum peculiarem curam habere; et etiam periculo vitæ suis ovibus in extrema non solum, sed etiam in gravi spirituali necessitate consulere (o 11).

29. *Quid debent fideles pastoribus suis?*

Amorem, reverentiam, obedientiam circa ea quæ spiritualem eorum salutem respiciunt, et vitæ subsidia, si pastores ex beneficio non habeant unde se sustentare.

30. *Ad quid obligantur Patrini?*

Filios suos pro eorum necessitate imbuere bonis doctrinis, ac fidei rudimentis; bonis moribus informare; corrigere, si errent; et ad meliorem frugem, ut fieri poterit, revocare: sunt enim eorum fidejussores apud Deum, et patris gerunt vices.

31. *Ad quid tenentur filioli spirituales erga suos patrinos?*

Illos amare, colere, eisque in omnibus obedire, quæ ad sui profectum attinent; habentur enim patrini quasi patres, pro filiolis Deo rationem reddituri.

32. *Ad quænam obligantur tutores, et curatores?*

Obligantur, tamquam providi patresfamilias suorum pupillorum seu minorum curam habere, eorumque bona rite et fideliter administrare; ad hoc enim adstringuntur ratione acceptæ tutelæ et curæ: quare ad restitutionem tenentur, si sua negligentia damnum pupillis evenerit (p 12).

(o) *Ex variis locis S. Scripturæ, Conciliorum, præsertim Trid. legis can. PP. et DD.*

(11) Vide dicta de correctione tract. VI. num. 140. de residentia tract. VII. num. 158. in (45): de Sacramentis ministrandis tract. X. var. loc. de Missa in festis applicanda tract. X. num. 194. 195. cum subject. notis. Quod autem ad prædicationem attinet, graviter obligantur Episcopi, et Parochi per se vel per alium illam facere suis populis in omnibus dominicis et festis solemnibus, *Trid. sess. 5. de reform. cap. 2. sess. 24. de reform. cap. 4. et alibi.* At excusantur, si interdum illam omittunt.

(p) *L.* A tutoribus *33. pr. D. de administr. et peric. tutor. etc. alibique* [*art.373.*]

(12) Tutor 1.° Curare debet, ut convocetur consilium-familias ad tutorem subrogatum eligendum, si adhuc non sit electus [*art. 343*]. 2.° Intra decem dies acceptatæ tutelæ procedere debet ad inventarium bonorum minoris coram tutore subro-

33. De quanam culpa tenentur?

De culpa lata; agunt enim in minoris favorem. Tenentur quoque de culpa levi, si mercedem acceperint.

34. Potestne tutor vel curator mercedem accipere pro tutela vel cura?

Non possunt, nisi sit eis a judice constituta (*q*); hujusmodi et-

---

gato; in quo inventario sub pœna amittendi sua jura declarare debet, utrum de aliquo sit minoris creditor, [*art. 374*]. 3.° Infra mensem a peracto inventario coram tutore subrogato auctione judiciali vendere debet omnia minoris mobilia, illis exceptis, quæ auctoritate consilii-familias potest reservare, *variis ll. jur. rom* [*art. 375*]. 4.° Ab instanti incepti exercitii tutelæ a consilio-familias prudenti computatione stabilienda est summa bonorum administrandorum, et annuæ expensæ pro minore faciendæ. Et in eodem actu est exprimendum, utrum possit tutor aliquem vel plures habere administratores stipendio conductos in adjutorio dictæ administrationis: quare ab eodem consilio-familias positive est summa determinanda, a qua superfluum tenetur tutor in annuos reditus convertere ad emolumentum minoris, *var. ll. jur. rom.* [*art. 377. 378.*] Quæ conversio, seu applicatio facienda est infra sex menses a dicta determinatione; alias tenetur tutor de *interesse, cit. ll. et* [*cit. art. 378*]. Si vero tutor ita determinare non fecit dictam summam, tenetur elapsis sex mensibus *de interesse* pro quacumque summa, etsi minima, non conversa seu applicata ut supra, *cit. ll. et* [*art. 379.*] 5.° Tutor, licet sit pater vel mater, non potest sine auctoritate consilii-familias, et confirmatione a tribunali civili obtenta pro minore mutuum pecuniarium accipere, nec ejus immobilia alienare vel hypotecare [*art. 380. et 381*] In casu immobile alienandum vendi debet judiciaria auctione coram tutore subrogato [*art. 382.*] 6.° Nequit tutor pro minore acceptare, nec repudiare hæreditatem aliquam, sine prævia consilii-familias auctoritate: in casu acceptatio facienda est peracto inventario [*art. 384*]. Item non potest sine auctoritate consilii-familias donationem pro minore acceptare [*art. 386*]. 7.° Non potest sine dicta consilii-familias auctoritate actionem instituere super immobilia minoris, nec adhærere alicui instantiæ relate ad ea: neque petere aliquam divisionem [*art. 387. et 388*]. Sic non potest, nisi auctoritate ejusdem consilii-familias, et consilio trium jurisconsultorum a regio procuratore nominatorum apud tribunal civile, et confirmatione ejusdem tribunalis, pro minore transigere [*art. 390*]. 8.° Potest consilii-familias auctoritate minorem corrigere, etiam carcere, uti dictum est de patre tract. IX. num. 21. [*art. 391*]. 9.° Demum tenetur, finita tutela, rationem reddere de peracta administratione [*art. 392*]. Modum tenendum in dicta redditione fas est legi [*art. 394. et sequent.*]

Alia de tutore invenies in tract. VII. n. 83. et 86. tract. IX. n. 27. et sequent. tract. XIII. n. 15. etc.

Tutor subrogatus obligatur 1.° agere pro rebus seu negotiis minoris, si rebus seu negotiis tutoris in oppositione sunt [*art. 342*]. 2.° Deficiente tutore, petere debet nominationem novi tutoris; alias ad damna *et interesse* tenetur [*art. 346*]. 3.° Actibus interesse, ad quos eum vocat lex [*art. var.*] 4.° Vigilare, utrum recte administretur tutela [*ex art. 393.*]

(*q*) *L.* A tutoribus 33. §. 3. *et* Qui negotiationem *53. pr. D. de administr. et peric. tutor. etc.*

enim officium de jure est omnino gratuitum. Excipitur tamen, si in aliquo loco alia sit legis dispositio.

35. *Quid debent pupilli seu minores suis tutoribus et curatoribus?*

Reverentiam, obedientiam, et amorem; quoniam isti parentum vices gerunt, Deo et hominibus rationem reddituri (*13*).

SECTIO IV.

DE QUIBUSDAM ALIIS PERSONIS, PRÆSERTIM JUDICIALIBUS.

36. *AD quid tenentur judices?*

1.° Sufficientem habere scientiam, qua recte possint suo munere fungi. 2.° Juxta leges, rectum processum, atque ex intentione justitiæ causas judicare, et celeriter expedire: quæ omnia per se patent (*r* ✻).

37. *Potestne judex accipere pecuniam ad expediendum aliquam causam præ alia?*

Alii affirmant, modo non adsit damnum alterius; quia illa nova obligatio, quam suscipit, pretio est digna. Alii vero negant, et forsitan verius; quia judex ex justitia tenetur causas expedire: excipiunt tamen, si ob id extraordinarium susciperet laborem, ad quem non teneretur vi sui muneris.

(*13*) De Clericorum obligationibus vide. in XII. tract. aliisque locis.

(*r*) *D. Thom. 2. 2. q. 60. a. 2. et alii.*

(✻) Quare 1.° peccat judex petens, aut suscipiens, aut exercens officium absque debita scientia, et ad damna tenetur inde secuta sive communitati, sive peculiaribus personis, quidquid aliqui somnient. 2.° Si agnoscat errorem a se commissum (etsi sine sua culpa) in præjudicium alterius, tenetur, si possit sine infamia, illi consulere modo quo potest. 3.° Non potest condemnare quem privata scientia scit esse nocentem, si juridice sit probatus innocens. 4.° Contra probabilius non potest condemnare quem certo scit esse innocentem, licet juridice sit reus probatus. In causis vero civilibus, et criminalibus minoribus, ubi agitur tantum de pœnis pecuniariis, probabilitater potest procedere secundum allegata et probata, etsi alias ipse sciat. 5.° Peccat, si ex odio, aliove malo fine procedat: et sane graviter vel leviter, prout erit finis. 6.° Peccat, si absque justa causa valde notabiliter causas differat: et restituere obligatur damna, expensas etc. ex injusta dilatione secutas.

Utrum possit judex judicare pro parte probabili, relege in II. tract. n. 28. cum (9) 31. et 32.

38. An liceat apud judicem intercedere pro liberatione rei?

Maxime in iis, quæ judex licite facere potest; quoniam pro delinquentibus intercedere nullo jure prohibetur: exciperem tamen, si reus sit reipublicæ nocivus.

39. Utrum peccat, qui munera dat judici, ejusque ministris?

Si dat sine justa causa, peccat quidem; quia cooperatur injustæ receptioni; si vero cum justa causa, ut puta ad redimendam injustam vexationem etc. non peccat; tunc enim non est corruptio, sed cautio, ut jus suum sibi tribuatur (14).

40. Judicis sententia obligatne in conscientia?

Utique, modo sit justa; quia est præceptum superioris, atque legitimæ potestatis usus. Si vero certo injusta est, non obligat, nisi ad vitandum scandalum, vel incommoda graviora (✠).

41. Quid est Accusatio?

Est alicujus rei, vel criminis delatio judici in scriptis facta, ut reus puniatur, cum obligatione delictum probandi.

42. Quid est et quotuplex Denuntiatio?

Est alicujus delinquentis, vel delicti manifestatio superiori facta, sine obligatione probandi. Hæc si fiat superiori tanquam judici, ut reus puniatur, dicitur *juridica* seu *judicialis*: si vero fiat superiori tanquam patri, ut reus emendetur, vocatur *evangelica*, seu *fraterna* (15).

43. An accusatio a denuntiatione differat?

Utique: nam 1.° in accusatione exigitur rei punitio; in denuntiatione non exigitur punitio, sed tantum aliquando relinquitur superioris arbitrio: 2.° accusatio est probanda; secus denuntiatio: 3.° accusatio facienda est in scriptis; denuntiatio vero non.

44. Tenemurne delinquentes accusare, aut denuntiare?

Affirmative in sequentibus casibus. 1.° Cum agitur de damno

---

(14) An possit judex acceptum retinere, dictum est in VIII. tract. num. 146.

Dantes, aut recipientes pro obtinenda justitia aut gratia apud Sedem Apostolicam, excommunicationem incurrunt ipso facto reservatam; si sint Clerici omni officio ac beneficio privantur; et accipientes restituere tenentur. Vide apud Salmaticenses c. 1. n. 88.

Alia de judice habentur in tract. III. n. 56. tract. V. n. 129. in (70 ✠) tract. IX. n. 301. etc.

(✠) Injusta est sententia, si falsæ præsumtioni, falsis testibus etc. est nixa; aut essentialis judicii ordo non est servatus etc.

(15) Relege scripta in IV. tract. n. 241. et sequent. tract. VI. n. 42. et sequent. ac n. 141.

communi avertendo; uti esset in hæresi, perduellione etc. 2.° Si immineat grave damnum innocenti: sed ex charitate. 3.° Si ad id tenemur ratione officii, et sane ex justitia; uti sunt fiscales, vectigalium custodes, etc. 4.° Si hoc sit necessarium ad vitandum vel resarciendum damnum propriæ familiæ, quæ alias remaneret dehonorata, vel alimentis destituta. 5.° Si adsit speciale præceptum etc. Extra allatos casus possumus, sine odio et animo propriæ vindictæ; at non tenemur delinquentes accusare, vel denuntiare (16).

45. *Estne accusationi præmittenda correctio fraterna?*

Si delictum est notorium, non est præmittenda correctio fraterna; tunc enim rei punitio est necessaria ad scandalum reparandum (s). Alias est præmittenda, si fructus speratur (✱).

46. *An correctio fraterna denuntiationem præcedere debeat?*

Præcedere debet denuntiationem evangelicam, ut jam diximus in VI. tract. num. 141. Excipitur tamen, si alias videatur melius, vel si delictum sit communitati perniciosum (t). Denuntiationem vero judicialem præcedere non debet, si denuntiatio sit ad rei punitionem præcepta: alias idem dici potest, quod supra dictum est de evangelica (17).

47. *Ad quid tenentur testes?*

Judici legitime interroganti veritatem dicere, (nonnullis casibus exceptis, ut infra); sic enim obligantur ex præcepto Superioris, et juramento præstito; quia communitatis sunt partes, vel quia consulere ex charitate debent bono innocentis. Hinc qui in judicio falsum deponit, peccat, et ad restitutionem tenetur damni inde secuti; quia suo mendacio positivo hujusmodi damni est causa injusta (18). Qui vero se abscondit, ne citetur a judice, vel post ci-

---

(16) Vide sis quæ dicta sunt in V. tract. num. 120. cum (70 ✱) ac VI. tract. num. 115.

(s) *S. Thom. 2. 2. q. 33. a. 7. et alii.*

(✱) In hæresi, perduellione, conjuratione etc. nunquam aut rarissime speratur fructus, et mora valde nocere potest: quapropter possunt ista crimina accusari sine prævia monitione.

(t) *D. Thom. loc. cit. et Quodlib. q. 11. a. 13.*

(17) Alia de accusatore et denuntiatore dicta sunt in tract. VIII. num. 166. et 167. ac aliis operis locis.

(18) In IV. tract. n. 151. et 152. relege casum cum excommunicatione reservatum, quem incurrunt falsum in judicio deponentes.

tationem fugit, vel legitime interrogatus veritatem occultat, reticet, e. c. dicit se nihil scire, cum sciat etc. peccat quidem; at ad restitutionem non obligatur, omissa contraria opinione; quia non peccat contra justitiam commutativam, cum non sit ex justitia commutativa obligatus ad veritatem patefaciendam (19). Excipe tamen, si aliquo pacto testis ad veritatem dicendam se obligaverit.

48. *Quandonam judex legitime interrogat?*

Cum interrogat juxta formam judicii.

49. *Quandonam tenetur quis testari?*

Quando adest Superioris præceptum: vel quando ejus testimonium est necessarium ad avertendum grande malum proximi; tunc enim urget charitas (*u*).

50. *An aliquando non teneatur testis judici fateri veritatem?*

In sequentibus casibus. 1.° Si non sit legitime et juridice interrogatus. 2.° Si rem sciat ex sacramentali Confessione. 3.° Si sciat ex secreto naturali, vel etiam tantum commisso: intelligitur tamen, nisi immineat damnum commune, vel innocentis; vel nisi aliunde sciat (20). 4.° Si sibi vel suis grave damnum ex testimonio immineat: quare non tenentur delinquentis consanguinei et affines usque ad secundum gradum, immo ad quartum usque, juxta alios: et per aliquos non obligantur famuli et domestici. Hoc tamen intelligitur, nisi agatur de damno publico. 5.° Si notitiam a viris accepit fide non sat dignis: immo aliqui docent nunquam obligari testem manifestare ea, quæ ab aliis audivit, quando judex nihil aliud exigit, nisi ut dicat quod scit. 6.° Si probabiliter judicat reum in facto non peccasse, puta ob ignorantiam etc. vel leviter peccasse; quia mens judicis est inquirere de delicto gravi, et vero. 7.° Si factum scivit per injuriam, puta per dolum, vim, metum gravem injuste incussum, litteras aperiendo etc. 8.° Si testimonium exigitur unice ad rei emendationem, et iste jam est emendatus. 9.° Secundum aliquos si testis sit delicti auctor vel complex.

---

(19) Neque iste citatum casum incurrit; casus enim est contra falsum positive deponentes. Vide Ciera de Casib. reserv. D. 6. n. 62.

(*u*) *S. Thom. 2. 2. q. 70. a. 2. et alii.*

(20) Relege dicta in IV. tract. num. 165. 166. 167. cum (40) ac 182.

51. Ad quid obligatur Notarius?

Notarius, aliis nominibus dictus *Tabellio*, *Scriba*, *Cancellarius etc.* obligatur sufficientem habere scientiam circa ea, quæ pertractare debet; debita diligentia, justitia, atque fidelitate suo munere fungi (✠ 21).

52. Quænam conditiones desiderantur in Advocato?

Scientia conveniens, justitia causæ, fidelitas, et pretium justum taxatum, vel naturale (✠✠).

53. Potestne advocatus, procurator etc. sibi retinere, si quid expensis faciendis parçatur?

Affirmative, modo ex sua extraordinaria industria aut labore sit ista parsimonia, vel præciso sui intuitu sit ei aliquid remissum: secus non potest.

54. Teneturne advocatus gratis defendere pauperum causas?

Maxime; et quidem sub mortali, etiam cum gravi incommodo in extrema necessitate; in gravi vero necessitate probabilius etiam sub mortali, absque tamen suo notabili incommodo; in communi necessitate sufficit, si aliquo modo pauperibus consulat: sic enim obligat lex charitatis (*x* 22).

(✠) Hinc peccat, et ad restitutionem tenetur, si forte damna sequantur, 1.° si processum aliasve scripturas sua ignorantia aut malitia non recte conficiat, vel aliquid accrescat, minuat, mutet, vel cetera fideliter non scribat, vel falsos testes, scripturas etc. admittat, aut processui inserat. 2.° Si ignoranti aut non fideli amanuensi scripturas transcribendas committat, vel illas diligenter non custodiat. 3.° Si scripturas tradendas neget, vel negandas tradat; vel secretum violet. 4.° Si causæ expeditionem ex negligentia vel malitia impediat. 5.° Si mercedem ultra pretium justum exigat etc.

(21) Eadem, servata proportione, dicenda sunt de Secretariis.

(✠✠) Quare 1.° peccat, si absque scientia conveniente hoc suscipit munus; et ad damna tenetur inde secuta. 2.° Peccat suscipiens causam injustam: proindeque tenetur ad damna tam parti contrariæ, quam clienti eventa: pro cliente excipitur, si ipsi constabat causæ injustitia. At in causa criminali potest semper reum defendere. Utrum autem possit patrocinium suscipere causæ probabilis, dictum est in II. tract. num. 33. 3.° Peccat, et ad restitutionem tenetur, si utatur fraudibus, dolis, falsis documentis vel testibus etc. aut adversarium sine justa causa vexet, impediat, pervertat, causam differat etc. 4.° Peccat, et ad restitutionem tenetur, si adversario clientis secreta patefaciat, quopropter damnum evenit clienti etc.

(*x*) *D. Thom. 2. 2. q. 71. a. 1. aliique commun.*

(22) Alia de advocato invenies in tract. I. n. 42. et 47. tract. IV. n. 161. in (39) tract. VIII. n. 34. 41. 42. aliisque multis.

Procurator dicitur ille, qui in litis defensione adjutor est advocati; scilicet est

55. Ad quid tenetur reus ?

Superiori juridice interroganti veritatem dicere; sic enim obligatur ex legitimi Superioris justo præcepto (22).

56. Peccatne reus, qui ad vitanda gravia tormenta falsum crimen morte, mutilatione etc. dignum sibi imponit ?

Maxime, omissa contraria opinione, et quidem graviter; tum quia dicere falsum est intrinsece malum; tum quia sic ipse positive cooperatur injustæ suæ morti, mutilationi etc. quod etiam est intrinsece malum (23).

57. Licetne reo damnato vim vi repellere, aut positive resistere ?

Si injusta est sententia, non solum secundum rei veritatem, sed etiam secundum allegata et probata, tunc non potest reus vim vi repellere, occidendo, vulnerando etc. aliter, cum possit quisque in causa propria hallucinari, quamplura acciderent homicidia cum damno communi; et patet ex prop. 18. ab Alex. VII. damnata (*): potest tamen reus non solum fugere, sed et positive resistere, ut puta satellites pellendo, vel etiam armis terrendo; quia innocens est (y): modo ex hoc non oriatur publicum scandalum, vel perturbatio. Idem probabiliter dicendum, si sententia sit justa tantum secundum allegata et probata, et non secundum veritatem; quia damnatus revera est innocens: et idem dicerem, si sententia sit injusta secundum allegata et probata, etsi damnatus sit reus; sic enim quoque est injuste damnatus. Si vero sententia omnino est justa, non

---

advocatus secundus: proinde quicquid dictum est de advocato, proportione tenendum est de procuratore.

(22) Utrum liceat reo ad gravem vitandam pœnam suum delictum occultare, dictum est in IV. tract. num. 159.

Convenit tamen inter Doctos, quod si reus sit in bona fide, et censeatur quod difficile inducatur ad fatendum crimen, Confessarius in sua bona fide debet eum relinquere.

Finito judicio, non tenetur reus crimen confiteri, quod ante injuste negavit.

Num liceat reo falsum crimen testibus vel accusatori imponere, aut occultum eorum crimen detegere ad se defendendum, dictum est in IV. tract. num. 184. cum (43).

(23) Unde probabilius sub gravi obligatur reus se retractare, si causa sit adhuc in eo statu, ut per retractationem possit mors vel mutilatio impediri.

(*) Propositio dicebat: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

(y) *S. Thom. 2. 2. q. 69. a. 4. in corp. et alii.*

licet reo positive resistere; nam juste sententia ad obediendum obligat, et damnatus, cum sit reus, injuste resisteret (z).

58. Potestne reus fugere ?

Affirmatur 1. si nondum sit ad pœnam sententia damnatus; nemo enim ante sententiam tenetur solvere pœnam. Affirmatur 2. si damnatus sit ad mortem aliamve gravem pœnam, modo carcer sit illi assignatus non ad pœnam, sed ad custodiam; etenim sententia non damnat reum ad non fugiendum, sed tantum ad non resistendum (*a* 24). Si vero carcer per justam sententiam sit reo assignatus ad pœnam, etiam in perpetuum, tunc non potest fugere, omissa contraria opinione; reus enim in executione justæ sententiæ tenetur obedire. Nonnulli vero excipiunt 1.° si in carcere non dentur ei ad sustentationem necessaria: 2.° si carcer esset nimis durus, uti essent triremes etc. Dixi *per justam sententiam etc.* alias semper potest fugere, nisi adsit scandalum, vel publica pertubatio; tunc enim non tenetur obedire.

59. Num teneatur reus ad mortem juste damnatus e carcere fugere, si possit ?

Probabilius non tenetur; nam in carcere manendo non tendit immediate ad sui mortem; sed tantum illam permittit: præsertim si justum habeat finem, ut puta satisfaciendi pro suo crimine, ut sua punitio sit aliis ad exemplum etc. (25)

(z) *Idem ibid. cum aliis communiter.* (*a*) *Idem ibid. et alii.*

(24) Et hoc est, etiamsi custodibus vel aliis ex sua fuga damnum eveniat; reus enim non damnum alterius, sed suam intendit libertatem.

Hinc clare infertur, quidquid aliqui audiant, quod possit reus 1.° effringere carcerem, ferra etc. quare probabilius licet aliis (exceptis ministris justitiæ) reo suppeditare funes, limas, aliaqua instrumenta etc. ut reus effugiat, vel illum consilio juvare etc. modo rei fuga non sit reipublicæ perniciosa: at nulli licet immediate carcerem effringere, vel in effractione juvare, ut reus fugiat. 2.° decipere custodes, modo non mendacia adhibeat; at probabilius nequit custodes pecuniis, muneribus etc. corrumpere.

(25) Sic etiam licent reo alii actus mediati, v. g. porrigere manus, suis pedibus ire ad locum executionis, ascendere patibulum, extendere collum etc. sicuti jam dictum est in IV. tract. num. 299. in (✠✠).

Si reus sit damnatus, ut fame pereat, potest cibum sumere: sed probabilius non tenetur. Omnibus licet, præter ministros justitiæ, ei cibum subministrare.

Quæstio est, an possit reus ex judicis præcepto seipse occidere.

Alia de reo habes in aliis operis locis, præsertim in VIII. tract.

60. Ad quid obligantur Medici, Chirurgi, et Pharmacopœi?

Obligantur 1.° sufficientem habere scientiam et peritiam: 2.° sequi opiniones securas et tutas: 3.° debitam adhibere diligentiam, ut prosint infirmis, et ne quid nociturum eis eveniat (✱ 26).

(✱) Ideoque peccat medicus 1.° Si absque sufficienti peritia gravem morbum curare præsumat: 2.° Si occurrente gravi insolito morbo speciale non adhibeat studium, curam, adsistentiam, alios medicos etc. 3.° Si non bene cognita morbi natura, temere adhibeat remedia: 4.° Si adhibeat medicamenta inexplorata, periculosa, magis nocitura quam profutura etc. etsi faciat experientiæ gratia: excipe si nullum adsit securum medicamen etc. Vide dicta in II. tract. num 28. et 34. cum (12). 5.° Si pauperes non curet in gravi periculo: 6.° Si quid suadeat contra bonos mores, ut puta pollutionem, fornicationem etc. vel sine causa a jejunio absolvat, aut carnium esum permittat. 7.° Si medicamenta præbeat ad procurandum abortum, vel ad non pariendum, vel ad inducendam sterilitatem etc. Similiter peccat Chirurgus et Pharmacopæus.

(26) Alia extant in tract. I. n. 42. et 47. tract. IV. n. 161. in (39) tract. VIII. n. 34. 41. 42. et aliis, tract. IX. multis locis.

Obligationes Mercatorum et Opificum patent ex dictis alibi, præsertim in VIII. et IX. tract.

APPENDIX III.

DE FESTORUM OBSERVANTIA.

1. PRæceptum servandi dies festos est naturale, an positivum seu ceremoniale?

Quoad substantiam est naturale; ipsa enim naturalis ratio dictat aliquo tempore esse Deo vacandum: quoad temporis vero determinationem est positivum (*a*).

2. Quinam possunt instituere dies festos?

Omnes qui possunt leges ferre pro spirituali animarum regimine: idest summus Pontifex, et Concilium generale pro universa Ecclesia; Episcopi, Concilia peculiaria etc. pro quaque sua diœcesi: quoniam a Christo Ecclesiæ dispositioni est relicta temporis determinatio, quo cultus est conferendus (*b*). Sed ad dies festos statuendos per Episcopum vel Synodum probabilius requiritur Cleri et Populi consensus; quoniam per festorum institutionem politica interrumpuntur subditorum negotia (*c 1*). Sufficit tamen, si Clerus et Populus non contradicat.

3. Est negativum, an affirmativum hoc præceptum?

Variant Theologi: sed dici potest negativum simul et affirmativum, quatenus aliqua prohibet, et alia jubet.

4. Præcipiturne hoc præcepto cultus internus?

Communissime negatur (*d*): sanctificatio enim interna est finis præcepti non cadens sub præcepto.

(*a*) *Catechism. Rom. de tert. præc. decal. n. 4. et 6. D. Thom: 2. 2. q. 122. a. 4. ad 1. aliiq. communiter.*

(*b*) *Bull.* Universa *Urbani VIII.*

(*c*) *Ex can.* Pronuntiandum *1. de consecr. dist. 3. et cap.* Conquestus *final. de feriis.*

(*1*) Juxta sententiam communem et longe probabiliorem observantia diei Dominici est tantum de jure ecclesiastico, *Catechism. Rom. ibid. n. 18. D. Thom. ibid. ad 4. D. Anton. p. 2. tit. 9. c. 8. n. 8. aliique communiter.*

(*d*) *Ex Catechismo Rom. ibid. n. 1. ex D. Thom. ibid. a. 4. in corp. D. Anton. ibid. c. 7. §. 2. q. 4. a. 4. concl. 2. dub. 1. aliique contra paucos.*

5. *Obligat sub gravi, an sub levi?*

Obligat sub gravi; tum ratione materiæ, quæ quidem est gravis; tum ratione finis, scilicet cultus Dei: contrarium est ab Innoc. XI. proscriptum in thesi 52. (*)

6. *Quomodo est hujusce præcepti dies computandus?*

A media nocte ad aliam; talis enim est usus hodiernus Ecclesiarum. Excipe, si alicubi adsit lex particularis vel consuetudo diem computandi a primis vesperis ad vesperas diei, tunc enim hæc est servanda.

7. *Quinam tenentur hoc præcepto?*

Omnes fideles rationis compotes; cum sit præceptum ecclesiasticum, et infantes directionis sint incapaces (✻).

8. *Ad quid obligat laudatum præceptum?*

Ad audiendum sacrum (*e*), et ad abstinendum a servilibus (*f*): idque non solum in dominicis, sed etiam in aliis festis.

SECTIO I.

DE OBLIGATIONE AUDIENDI SACRUM.

9. *Præceptum audiendi sacrum in festis est divinum an ecclesiasticum?*

Quoad substantiam videtur divinum; ut eruitur ex illis Christi verbis *hoc facite in meam commemorationem* (*g*): immo videtur etiam naturale; nam ex omnium gentium consensu sacrificium Deo debetur; et ex Christi institutione unicum est verum externum sacrificium, id est Missa (*h*). Quoad determinationem vero ecclesiasticum est (*i* 2).

(*) Quæ dicebat: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemtus.*

(✻) Hinc pueri non tenentur, si septennio expleto certo adhuc carerent usu rationis: idem est de amentibus. Contra tenentur, si ante septennium certo pervenerint ad rationis usum: at opposita sententia non est improbabilis. In dubio usus rationis ante septennium præsumitur non haberi, contra post septennium.

(*e*) *Ex canon.* Si quis 35. Omnes fideles 62. et Missas 64. *de consecrat. dist.* 1.

(*f*) *Ex Levit.* 23. 7. *et ex cap.* Licet 3. *de feriis.*

(*g*) 1. *Cor.* 11. 24. (*h*) *Ex Trid. sess.* 22. *cap.* 1.

(*i*) *Ex cit. canon.* Si quis, Omnes fideles, et Missas.

(2) Num obliget sub gravi, et quinam teneantur hoc præcepto, dictum est num. 5. et 7.

10. Quænam adsistentia præstanda est ad satisfaciendum huic præcepto?

Adsistentia non solum physica, sed etiam moralis, scilicet ut aliquo modo advertatur quid fiat, et debita habeatur attentio (✻).

11. Quotuplex esse potest ista attentio?

Interna vel externa: interna est illa, quæ cum aliqua interna oratione, vel virtutum exercitio est conjuncta: externa est, cum attenditur tantum quid a celebrante agatur.

12. Ad satisfaciendum præcepto requiriturne quoque attentio interna?

Aliqui negant; quia non præcipit Ecclesia actus internos. Alii vero communius et probabilius affirmant; quoniam indirecte præcipiuntur cum Missa etiam actus interni, ad reddendum actum externum completum atque perfectum (*k* 3).

(✻) Hinc ratione physicæ adsistentiæ bene satisfacit 1.° qui in choro post Altare, post columnam etc. vel per fenestram, quæ fert in templo audit Missam; etsi celebrantem non cernat, modo per alios advertat quid fiat. 2. Qui ob ecclesiæ incapacitatem extra illam sistit, modo multitudini jungatur ad Altare usque protensæ. 3. Qui in magna basilica e loco etiam distantissimo, puta ex aliqua Capella distantissima, assistit, quidquid aliqui dicant. 4.° Juxta aliquos qui e domo sua, interjecta via, aspicit Altare; præsertim si parva sit distantia, puta decem vel quindecim passuum. Contra non satisfacit, qui in ejusmodi est loco, ut nullo modo audiat, notet etc. quid agatur.

Ratione vero adsistentiæ moralis non satisfacit. 1.° qui dormit, docet, aut quid aliud agit, ut non advertat quid agatur. 2.° Ex veriori sententia qui sacrum audit confabulando: contra satisfacit, si confabulatio est per parvam partem; licet non excusetur a veniali.

Probabilius non satisfacit 1.° Qui tempore missæ confitetur, (vel excipit confessiones): aliqui excipiunt casum, quo obligati ad Missam aliter non possent confiteri; ut essent aliqui famuli etc.

Satisfaciunt autem 1.° musici, cantores etc. si, dum canunt, aut instrumenta pulsant, ad Missam advertant. 2.° Qui tempore Missæ recitat horas canonicas, pœnitentiam a Confessario impositam, aliamve orationem; aut legit librum spiritualem; nisi legeret animo discendi stylum, historiam etc. item qui examinat suam conscientiam: et probabilius etiam celebrans potest audire aliam Missam. 3. Inservientes Missæ si recedant ob necessaria ad Sacrum, puta ad sumendum vinum, hostiam etc. intelligitur tamen, quidquid aliqui audiant, modo sit per breve tempus, et non exeatur ab Ecclesia, saltem non longe.

Probabilius satisfacit qui, dum Sacrum audit, ecstasim patitur.

Quæstio est, num satisfaciat qui magnam Sacri partem insumit in colligendis eleemosynis.

(*k*) *S. Thom. in 4. dist. 15. q. 4. a. 2. q. 4. aliique.*

(3) Attamen sufficit attentio virtualis, scilicet ut quis ab initio intentionem ha-

13. Num præcepto satisfaciat audiens duas Missæ dimidias partes a duobus Sacerdotibus?

Nullatenus, relicta quacumque alia opinione, etsi hoc faciat successive; præsertim si Missam audiat ab uno Sacerdote usque ad consecrationem inclusive, et ab altero usque ad finem: Ecclesia enim præscribit audire et assistere Missæ, quæ sit unum integrum Sacrificium. Eo minus præcepto satisfacit, qui plures Missæ partes a diversis celebrantibus simul audit: contrarium est ab Innoc. XI. proscriptum in thesi 53. (*)

14. Quænam omissio in audiendo Sacro sit peccatum grave?

Mirifice in hoc dissident Doctores: in isto vero sententiarum divortio magis rationabilia videntur sequentia. 1. Gravis est omissio, si omittatur consecratio et sumtio simul: et ex probabiliori sententia si omittatur tantum consecratio, vel tantum sumtio: immo etsi unius tantum speciei omittatur consecratio. 2. Si tantum omittatur, quod sit quarta vel quinta Missæ pars. 3. In canone minor, quam in reliqua Missa, omissio est gravis (✠).

15. An omittens levem Missæ partem, teneatur supplere, si possit?

Probabilius tenetur; quia, cum potest, integram obligatur Missam audire.

16. Qui nequit totam audire Missam, teneturne ad partem, quam potest?

Omnino affirmatur, quidquid aliquis contra sentiat, si eam potest audire partem, in qua sacrificium consistit. Quoad reliqua vero sententia valde probabilis et in praxi tenenda docet teneri, si pars est notabilis; quia audire obligatur partem notabilem, quam potest, cærimoniæ ab Ecclesia præceptæ.

---

beat attendendi, et illam non mutet; etsi postea distrahatur, modo non advertat se distrahi a Missa. Insuper utraque attentio erit sufficiens; sive quis ad verba et actiones celebrantis attendat animo colendi Deum; sive quis contempletur Deum, vel divina attributa, mysteria etc. modo attendat ad principaliores partes Missæ, et præcise ad Consecrationem, et Sumtionem.

(*) *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui ejus duas partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

(✠) Quare probabilior et communior sententia tenet esse grave, si omittatur ab initio usque ad Epistolam inclusive. Contra non est grave 1.° omittere omnia ante Epistolam: 2.° omnia post sumtionem.

17. Quænam sunt causæ ab isto præcepto excusantes?

Duæ genericæ, idest impotentia physica, vel moralis; quoniam ad impossibile nemo tenetur, et positiva præcepta non obligant cum gravi incommodo (✻).

18. Qui non potest Missam audire, teneturne id temporis orationi vacare?

Minime ex præcepto: sed consilium est.

(✻) Ob impotentiam physicam excusantur 1.° Qui sunt in navigatione, vel in carcere, et quicumque nequeunt Ecclesiam adire. Utrum autem habentes privilegium teneantur domi Missam audire, dictum est in III. tract. n. 101. in (18) 3. 2.° Qui est simul cæcus et surdus: secus si sit tantum cæcus etc.

Pro impotentia morali intelligitur quævis causa, quæ involvit notabile aliquod incommodum aut damnum in bonis Animæ vel corporis, nostrum vel proximi. Quare excusantur 1. Infirmi, quando prudenter timetur grave damnum in salute, vel mora notabilis ad convalescendum. 2. Excommunicatus, vel interdictus, etsi, ex communiori et probabiliori sententia, absolutionem non curent; (et idem dicendum de carcerato, qui non curat libertatem) modo tamen ipsi non ideo ex proposito negligant liberationem, ne teneantur ad Missam; et modo non possent de facili liberationem obtinere. 3. Custodientes castra, gabellas, domos, greges etc. qui gravem ex relictione jacturam timent. At si sint plures custodes, debent alternatim Missam audire. Idem est de aurigis, qui vecturam non possunt relinquere sine gravi damno. 4. Matres, quæ omnino non habent cui relinquere parvulos sine periculo, et contra non possunt eos in Ecclesiam adducere sine notabili astantium perturbatione. 5. Qui timent carcerari. 6. Qui non possunt infirmum relinquere sine periculo, gravi turbatione, tristitia etc. 7. Famuli, qui nequeunt necessarium ministerium sine gravi dominorum incommodo omittere: debent tamen isti debitam adhibere diligentiam, ut possint Missam audire. Contra peccant domini famulos impedientes, si ministerium non sit necessarium: et in casu obligantur famuli contra dominorum jussum Missam audire, nisi grave damnum timeant. 8. Uxor, si timeat gravem indignationem viri iracundi, vel zelotypi: ast hoc raro est in praxi admittendum. 9. Viator, si secus perderet expensas itineris, vel subiret majores, vel si sine comitiva non esset in via securus, aut esset magno tædio affectus. 10. Si magna sit Ecclesiæ distantia, puta duorum vel trium milliariorum: sed potius hoc est judicandum ex circumstantiis personæ, temporis, etc. 11. Viduæ, filiæ, sorores etc. ratione luctus, si talis sit consuetudo: modo istæ ad alia e domo non egrediantur. 12. Mulieres non habentes vestes etc. juxta suum statum, et alias magno rubore afficerentur: at istæ tenentur valde mane, aut in Ecclesia remota, si possunt, Missam audire. Item dicendum de puella inhoneste prægnante. 13. Probabiliter excusat amissio notabilis lucri, quod est texandum respectu personæ. 14. Item excusantur, qui alias non possent impedire blasphemias, rixas, furta etc.

Quæstio est utrum excusetur puella sciens ab aliquo turpiter amari: probabilius potest, immo bis vel ter obligatur Missam audire.

De peregrinis relege dicta in III. tract. n. 38. 39. 40. 42. et 44. in (3).

SECTIO II.

DE ABSTINENTIA AB OPERIBUS SERVILIBUS IN FESTIS.

19. *PRæceptum istud est divinum, an ecclesiasticum?*

Quoad substantiam dici potest divinum, et eruitur ex Levit. 23. 3. 7. et alibi *Omnes opus servile non facietis in eo;* nam abstinentia a servilibus est medium ad sanctificationem festi, et ad debitum Deo cultum præstandum: quoad determinationem vero ecclesiasticum est; Ecclesiæ enim dispositioni Christus reliquit hujus præcepti tempus et modum præscribere (*l* 4).

20. *Quot operum genera distingui possunt?*

Tria distiguuntur a DD. 1. Aliqua opera dicuntur *servilia*, quoniam a servis fieri solent: in istis definiendis una non est Theologorum mens: rationabilius tamen servilia sunt, quæ præcipue per corporis vires excercentur, et ad utilitatem corporis immediate ordinantur; ut sunt artes mechanicæ (5). 2. Alia sunt *liberalia*, utpote quæ a liberis exercentur; et ea sunt, quæ præcipue ab anima procedunt, et ad animæ cultum spectant. 3. Alia denique sunt *media* sive *communia*, quoniam a liberis et servis promiscue exercentur; scilicet ea quæ æqualiter fere et ab anima procedunt, et per vires corporis exercentur.

21. *A quibus operibus est in festis abstinendum?*

A servilibus; sicuti habetur ex cit. cap. Levit. et ex communi sensu. Probabilius non est abstinendum a communibus; nam ex D. Thoma (*m*) in quantum sunt communia servis et liberis, servilia non

---

(*l*) *Catechism. Rom. de 2. Præc. Decal. n. 4. 6. 7. 15. et 19. D. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 1.*

(4) Obligat sub gravi hoc præceptum, prout dictum est num. 5. et constat etiam ex Levit. loc. cit. et ex cap. *Licet* 3. de feriis.

Quinam teneantur hoc præcepto, dictum est num. 7. Quomodo sit dies computandus vide num. 6.

(5) Quare non pertinet ad rationem operis servilis, utrum fiat ex lucro aut ex recreatione, ex intentione pia et bona, an vana et turpi, quidquid aliqui audiant; quoniam intentio operantis non potest operis naturam mutare.

(*m*) *Ibid. ad* 3.

dicuntur. Liberalia licent, nisi adsit aliqua specialis prohibitio(*).

22. *Quænam opera prohibentur in festo, licet non sint servilia?*

Ordinario opera quæ dicuntur *forensia*, illa nempe quæ exercentur cum strepitu; ut sunt mercatus, actus judiciales, et similia (n). Dixi *ordinario*, quia hæc licent, si adsit necessitas, aut consuetudo, aut alia causa excusans.

23. *Quænam sunt causæ ab isto præcepto excusantes?*

Sunt Dispensatio, Consuetudo, Pietas, Charitas erga proximum, Necessitas, Utilitas pubblica, et Parvitas operis aut temporis.

24. *Quinam possunt in hoc præcepto dispensare?*

Summus Pontifex pro tota Ecclesia. Episcopus pro tota diœcesi in festis synodalibus, seu particularibus loci: potest etiam dispensare pro tota diœcesi in festis communibus, quum adest justa causa, et difficilis est aditus ad Pontificem: item potest pro subditis peculiaribus ex justa causa. Idem possunt Prælati Regulares erga Religiosos subditos, et eorum domesticos. Parochus potest dispensare ad tempus, et pro aliquo particulari casu, stante causa: uti constat ex consuetudine.

(*) Ex præfatis sequentia deducuntur.

Licitum est ludere; instrumenta musica pulsare; homines navi aut curru vehere ad solatium, saltem ubi viget consuetudo; vendere esculenta et poculenta (ex consuetudine) etsi ad gulositatem; et ex communi sententia omnia licent, quæ immediate inserviunt ad corporis cultum; uti est se vestibus induere, exornare, propriam comam componere, barbam tondere, manducare, bibere, cibos præparare et coquere, se eluere, et præstare opera, quæ sunt necessaria ad usum quotidianum, ut est sternere lectos, domum purgare, lavare utensilia culinaria, et similia. Item licet docere, studere, scribere, excommunicare, dispensare, eligere, beneficia ecclesiastica conferre, jurisdictionem exercere, et similia; quia non requirunt strepitum judicialem: advocatum consulere, judicem privatim informare etc.

Probabilius licet itinerari pedibus, equo, vel curru: venari, aucupari, piscari (ad solatium tamen, et non per longum tempus; aut si permittuntur ex consuetudine peculiari): militare: delineare aut pingere imagines in tela, tabula etc. acu retrahere imagines aut exemplaria; si ista magis requirunt animi quam corporis virtutem: condere testamenta, aliosque similes actus facere; qui non requirunt strepitum judicialem.

Quæstio est, utrum sit licitum lecticam portare; molere, cum mola agitur vento vel aqua; characteres componere (at non licet characteres prælo imprimere); res locare; vendere domum, equos, et similes merces in privato.

Probabilius non licet privatis conficere et coquere panem sine necessitate; currus et jumenta, aut navigia onusta ducere; molere, si mola agitur bestiis; transcribere, si fiat ex professione; pingere parietes etc. tingere, sculpere, acu depingere etc.

(n) *Ex pluribus cap. tit. de feriis.*

25. Quænam consuetudo excusat ab abstinentia a servilibus?

Consuetudo legitime præscripta, sive sit generalis, sive sit peculiaris; quia per consuetudinem legitimam abrogatur lex, vel de illa derogatur (✻).

26. Quænam servilia pietas permittit in festis?

Illa, quæ proxime spectant ad cultum Dei; idest pulsare campanas, ferre imagines, ornamenta pro functionibus præparare etc. (✻✻)

27. Quænam servilia permittuntur ob charitatem erga proximum?

Omnia quæ aliquo modo sunt necessaria ad pauperibus et indigentibus subveniendum (✻✻✻).

28. Quænam necessitas ab hoc præcepto excusat?

Necessitas spiritualis, vel corporalis, propria, vel aliena, quando nempe aliquid sine gravi incommodo aut detrimento omitti non potest (✻✻✻✻).

29. An liceat exercere servilia ad otium vitandum?

Minime; nam otium est vitandum piis operibus tali die vacando. Excipe, si hoc sit necessarium ad removendum periculum peccandi; cum nempe nullum aliud adest medium ad peccatum vitandum, nisi opus servile.

(✻) Ob hanc caussam permittuntur solitæ nundinæ, præparationes deliciarum etiam non necessariarum; excusantur barbitonsores; et nonnulli excusant rusticos, qui in area segetes vertunt aut separant, ac hortulanos rigantes olera.

(✻✻) Ex hac ratione probabilius licet verrere templum, ornare altaria, tabulata erigere ad festivitatem necessaria, sepulchrum, et similia. Item aliqui permittunt, etiam sine actuali necessitate, absque pretio conficere vestes Ecclesiæ, colere ejus agros, vehere lapides, ligna etc. ad ejus ædificium, dealbare parietes templi, et similia, si Ecclesia sit indigens, et petatur licentia ad scandalum vitandum.

(✻✻✻) Sicuti esset infirmis inservire, emere a rusticis aut vendere eis, qui aliis diebus impediuntur; pauperum et miserabilium actus judiciales exercere, ne expensis graventur, et similia.

(✻✻✻✻) Quare pauperes privatim et absque scandalo laborare possunt, si aliter se suosque alere non possent: suas vestes reficere, lavare, cum id nequeant aliis diebus: expedit tamen petere licentiam ad majorem securitatem. Licitus est coquere calcem, lateres, vitrum, saponem; quia talium coctio interrumpi nequit sine damno: dummodo non incipiantur in fraudem diei festi. Licitum est quoque judicia agere, quæ celeritatem requirunt. Item licet colligere fructus, si periculum adest, ut surripiantur, contaminentur a pluvia, vento, etc. Excusantur medici, chirurgi, pharmacopolæ etc. Excusantur instauratores fontium, viarum publicarum, et similium quæ moram non patiuntur.

30. Quando excusat utilitas?

Quando est communis, scilicet ab publicam causam, lætitiam etc. puta ob victoriam, adventum vel ortum Principis etc. talia enim sunt reipublicæ moraliter necessaria, et permittuntur ex consuetudine.

31. Estne caussa sufficiens ad excusandum ab hujusmodi præcepto occasio magni lucri?

Probabilius est; nam magnum lucrum cessans gravi damno æquiparatur (o): et eruitur ex cit. cap. *Licet.*

32. Quænam est in hoc gravitas materiæ?

In hac quantitate definienda mire inter se dissident Canonistæ et Theologi. Probabilior sententia jam nostra ætate recepta tenet, duas horas et aliquantulum plus requiri ad constituendam materiam gravem (б).

33. Utrum graviter peccet, qui plures parvo tempore laborare facit in festo?

Quæstio est: aliqui dicunt peccare mortaliter; quia putandum est, quod iste totum opus ipse perficiat; nam qui aliquid per alium facit, per seipsum facere videtur: alii vero cum B. Ligorio communius docent istum venialiter tantum peccare; quia præcipiens nequit magis peccare, quam executores; et si isti omnes peccant leviter, leviter quoque peccat præcipiens.

(o) *Ex l.* Cum pro eo *un. D. de sentent. quæ pro eo quod interest proferuntur.*

(б) In hac quantitate definienda attendendæ sunt circumstantiæ personæ, laboris, finis etc. Parvitas non excusat a veniali, nisi adsit, etsi levis, caussa. Advertendum quod plures parvæ materiæ coalescunt in eadem die, et efformant materiam gravem. Vide dicta in III. tract. n. 51. et tract. IV. n. 20. Caute agant Confessarii in permittendo pœnitentibus aliqua opera servilia; isti enim solent pro digito totam manum accipere. Immo Christifidelium in animum inducant, ut ad majorem diei festi observantiam anticipentur vel differantur quæ commode possunt, licet sint aliquo modo permissa.

APPENDIX IV.

DE JEJUNIO.

1. *Quid est Jejunium?*

Est actus virtutis temperantiæ, quo voluptatem in usu ciborum sitam refrenamus, et debitum modum in eorum sumptione constituimus: et brevius juxta D. Thomam (a) est subtractio ciborum ratione regulata.

2. *Quotuplex esse potest?*

Præcipue dividitur in naturale, et ecclesiasticum: naturale est totalis abstinentia ab omni prorsus cibo, et potu: ecclesiasticum est abstinentia a quodam ciborum genere, et a pluribus refectionibus eodem die, juxta Ecclesiæ præscriptum.

SECTIO I.

DE JEJUNII ECCLESIASTICI OBLIGATIONE, ET NATURA. (1)

3. *Præceptum jejunii obligat sub gravi, an sub levi?*

Obligat sub gravi, sicuti habetur ex pluribus Conciliis, unanimi Doctorum consensu, et ex prop. 23. ab Alex. VII. damnata (*). Admittit tamen parvitatem materiæ.

4. *Quænam est in hoc jejunio materiæ parvitas?*

In cibis prohibitis est quarta pars unciæ juxta aliquos: in ci-

---

(a) *2. 2. q. 147. a. 1.*

(1) De jejunio ecclesiastico tractaturi notare debemus, quod, cum ex legitimis consuetudinibus perquam sit temperatus vetus rigor, istæ consuetudines et generales et peculiares locorum inspiciendæ sunt: ac proinde auctoritas Doctorum recentiorum, etsi paucorum, qui soli de posteriore moderna consuetudine testari possunt, pluris facienda est, et præferenda auctoritati Doctorum antiquorum, qui nihil scire poterant de consuetudine in posterum introducenda.

(*) Propositio erat: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.*

bis non prohibitis protrahitur usque ad duas circiter uncias ad summum (2).

5. Quanam ætate tenentur fideles hac lege jejunii?

Ad unicam comestionem tenentur postquam compleverint vigesimum primum annum suæ ætatis; sicut constat ex consuetudine Ecclesiæ, et unanimi DD. sententia (*b*): ad abstinentiam a cibis vetitis omnes tenentur usum rationis habentes; quoniam per usum rationis Ecclesiæ legi sunt obnoxii.

6. Quomodo computandus est dies jejunii?

A puncto mediæ noctis antecedentis ad punctum mediæ noctis, sequentis (*).

7. Quoties peccat qui pluries in die frangit jejunium?

Si frangit cibos prohibitos comedendo, toties peccat; præceptum enim abstinendi a cibis vetitis est negativum, obligans semper et ad semper. Si vero frangit de cibis non prohibitis gravem quantitatem comedendo, quæstio est: aliqui affirmant toties peccare; quoniam præceptum de unica comestione est etiam negativum, adeoque obligat semper et ad semper: alii vero communius et probabilius docent pro prima vice tantum peccare mortaliter; nam essentia jejunii in unica comestione consistit, quapropter destructa essentia jejunii, cessat præceptum (3).

8. Quænam conditiones requiruntur ex præcepto Ecclesiæ ad servandum jejunii ecclesiastici formam?

Tres requiruntur: 1. abstinentia a carnibus, et a quocumque, quod a carne trahit originem: 2. unica refectio: 3. tempus refectioni determinatum (*c*).

9. Quid venit nomine carnis?

Veniunt omnia quæ ex communi fidelium existimatione et me-

---

(2) Meminerimus plures parvas materias coalescere in se etc. uti diximus tract. III. n. 51. et 52. et tract. IV. n. 20. Parvitas non excusat a veniali, si nulla adsit causa.

(*b*) *D. Tom. 2. 2. q. 147. a. 4.*

(*) Quare peccant, qui jejunium non observant in pervigilio Nativitatis Domini usque dum non advenit media nox: idem dicendum de Sabbato Sancto.

(3) Communissime tamen tenent Theologi esse peccatum veniale aliis vicibus manducare; cum sit contra legis finem, qui est corporis mortificatio.

(*c*) *Ex can.* Denique Sacerdotes *fin. dist. 4. can.* De esu carnium. *11. dist. 3. de consecrat. et ex pervetusta Ecclesiæ consuetudine.*

dicorum judicio carnes reputantur (✱). Sic etiam veniunt omnia quæ sementinam carnis trahunt originem, scilicet lacticinia, et ova (*d*).

10. Abstinentia a lacticiniis et ovis obligatne sub gravi?

Maxime pro diebus Quadragesimæ, sicut eruitur ex cit. can. *Denique*, et constat ex prop. 32. ab Alex. VII. proscripta (* 4). An idem sit pro aliis diebus jejunii extra Quadragesimam, quæstio est: at probabilius standum est consuetudini et peculiari legi locorum (5).

11. Quid dicendum de feriis sextis et sabbatis cujusque hebdomadæ?

Istis diebus abstinendum est a carnibus, et quidem sub gravi, ex consuetudine Ecclesiæ universali (*e*). Quoad adipem ad condiendos cibos potius standum est consuetudini locorum (6).

12. Quandiu licet prandium protrahere?

Usque ad horam, juxta communiorem sententiam: nonnulli licere docent ad duas usque horas.

13. Potestne aliquando dividi unica comestio?

Maxime, justa accedente caussa.

14. Per quantum temporis comestio interrumpitur, ita ut continuari non possit?

Absque ulla causa per semihoram, juxta communiorem sen-

(✱) Quare nomine carnis non veniunt pisces, et omnia animalia quæ in aquis nascuntur et vivunt. Item non veniunt limaces, testudines, ranæ, locustæ, et conchæ: et juxta nonnullos viperæ, castores, lutræ, fibri, et anatres cujusdam generis. Aves vero, etsi aliquæ nutriantur in aquis, habentur ut veræ carnes; sicuti sunt corvi marini, fulicæ, et similes. Excipe quoad corvos marinos et fulicas, si in aliquo loco adsit consuetudo contraria.

(*d*) *Cit. can.* Denique Sacerdotes.

(*) *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget.*

(4) Idem, omissa contraria sententia, tenendum est de Dominicis Quadragesimæ; nam ex cit. can. *Denique* universe præcipitur in diebus quadragesimalibus abstinentia a lacticiniis, et dies Dominici etiam sunt dies Quadragesimæ.

(5) * Sicuti est in nostra diœcesi. Vide Synod. Pignatell. de jejunio part. 1. cap. 9. n. 5. in notis. *

(*e*) *Ex can.* Quia dies *31. dist. 5. de consecrat. et aliunde.*

(6) * In nostra diœcesi adest consuetudo abstinendi ab adipe. *

Possunt carnes comedi, si feria sexta, vel sabbato cadat Nativitas D. N. J. C. excipiuntur tamen, qui regulari observantia tenentur, vel expresse voto se adstrinxerunt, *Nicolaus I. ad consulta Bulgar. cap. 5. de observat. jejun. et ex cit. can.* Quia dies.

tentiam: at, stante justa causa, ne per horam quidem interrumpitur, sicuti ajunt Theologi.

15. Qui jejunii immemor mane comedit, tenecturne illa die ab alia refectione se abstinere?

Maxime, quidquid aliqui dicant, dummodo possit sine gravi incommodo.

16. Peccatne qui die jejunii semel comedit, sed usque ad ingluviem.

Minime peccat contra jejunium; quia non determinat jejunii præceptum quantitatem cibi: at peccat contra temperantiam.

17. Utrum frangant jejunium potiones sumptæ extra prandium et cœnulam?

Minime, dummodo potus rationem habeant, et sumantur ad sedandam sitim, digestionemve adjuvandam (*f* ✻).

18. Quanam hora facienda est unica comestio?

Hora Sextæ, scilicet circa meridiem: eam differre licet, non vero anticipare.

19. Peccat graviter an leviter, qui ante hanc horam prandium anticipat?

Peccat graviter (omissa contraria sententia), si anticipatio sit notabilis, et absque causa fiat; nam ex D. Thoma (*g* ✻✻) *Ecclesia instituit certum tempus comedendi jejunantibus, et qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit.*

(*f*) Eruitur ex cit. can. *Denique*; et D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 6. ad 2. sic docet: *Non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus....licet aliquo modo nutriat.*

(✻) Ex hac ratione jejunium non frangunt vinum, aquæ artificiales, theum, caffeum etc. In potionibus mixtis ex alia materia, uti sunt aquæ mixtæ saccharo, et succo cinnamomi vel alterius rei, vulgo dictæ *Limonate*, *Sorbetto* etc. potius inspicienda est quantitas materiæ cum aqua mixtæ. Quoad chocolatem probabilius dicendum, quod ex usu sit permissum sumere unciam (et aliqui extendunt ad unciam cum dimidio) cum tanta aqua, quæ de more solet adhiberi in cyathis usualibus. At juxta veriorem sententiam jejunium frangunt poma, mala citrea, uvæ, pepones, et similia, etsi tantum dentibus præmantur, et, trajecto succo, expuantur: ista enim non habent rationem potus.

Jejunium non frangit quidquid assumitur per modum medicinæ. Ob hanc causam permissa sunt electuaria in moderata quantitate, nisi forte in fraudem sumantur.

(*g*) *In 4. dist. 15. q. 3. a. 4. q. 3.* Item eruitur ex can. *Solent* 50. dist. 1. de consecrat.

(✻✻) Notabilis anticipatio juxta communiorem sententiam est hora integra.

20. *Estne licita in die jejunii cœnula serotina?*

Maxime, ex consuetudine generali introducta, et adprobata.

21. *Quænam esse potest quantitas hujusmodi cœnulæ?*

De hac quantitate diversimode loquuntur Theologi: at melius communior sententia asserit permitti in collatiuncula octo uncias cibi; sic hodie constat ex sensu fere generali, et ex communi Piorum usu atque praxi (7✠).

22. *Quænam esse debet qualitas dictæ cœnulæ?*

Omissis omnibus a pluribus dictis, tenendum est, quod tantum liceat in refectiuncula quadragesimalibus cibis uti: eruitur ex Brevi Ben. XIV. *Si fraternitas tua*, ex declarat. Sac. Pœnit. die 23. Julii 1756. et ex bulla Clem. XIII. *Appetente* (✠✠).

23. *Licetne mutare refectiunculam in meridie, et comestionem ad serum?*

Licet, stante justa causa: sine causa esset veniale contra ordinem jejunii. (*8*)

SECTIO II.

DE CAUSIS A JEJUNIO EXCUSANTIBUS.

24. *Quænam sunt causæ excusantes a jejunio?*

Sunt quatuor: Dispensatio, Impotentia, Labor, et Pietas.

(7✠) Hæc quantitas ita hodie est usu recepta, ut indistincte permittatur, etiam iis qui cum illa ad satietatem reficiuntur, aut illa non indigent. Hujusmodi quantitatem per duas uncias excedere etiam sine causa non est grave peccatum, dummodo nihil aliud extra comestionem sit per diem sumptum: stante justa causa plus etiam potest dicta quantitas excedi. Probabilius non licet sumere octo uncias panis similisve cibi cum aqua, sale, oleo etc. cocti; tum quia hujusmodi ferculum minime est generali consuetudine receptum, tum quia aliquo modo mutatur natura panis etc. sic cocti: permittuntur tamen quatuor vel quinque unciæ panis tali modo elixi. In jejunio Vigiliæ Nativitatis Domini cœnula potest ad duplum ampliari, ex consuetudine, ob lætitiam et solemnitatem: etiamsi festum Nativitatis incidat in die lunæ. Attamen non licet, si quis in meridie refectiunculam anteverteret.

(✠✠) Licent legumina igne tosta: sicuti etiam pisces parvi, et probabilius etiam moderata quantitas piscis magni, attenta disciplina præsenti.

(*8*) Si vigiliæ incidant in die dominica, jejunium anticipatur in sabbato, *cap. 1. et 2. de observat. jejunior.* Sic etiam debet anticipari in feria quarta vigilia S. Joannis Baptistæ, si inciderit in die Corporis Christi, *Urbanus VIII. in append. 2. constit.* Cum evenire *43.*

25. Quinam possunt in jejunio dispensare?

Summus Pontifex pro universa Ecclesia; quia est dominus legis universalis. Episcopus cum suis subditis peculiaribus, stante justa causa, aliter est nulla dispensatio (9): sic etiam aliqua vice potest pro tota diœcesi, quando non patet accessus ad Summum Pontificem. Eadem ratione possunt Prælati Regulares cum suis subditis; etenim jurisdictionem habent spiritualem super subditos suos. Parochi, saltem ex consuetudine, dispensare possunt cum suis ovibus particularibus, ex justa causa: at non possunt pro tota parochia.

26. Dispensatus ad partem jejunii teneturne ad alias partes servandas?

Maxime, et quidem sub gravi; tanta enim valet dispensatio, quanta fuit concessa (✱).

27. Dispensatus ad carnes vel lacticinia potestne istis vesci in cœnula?

Minime, prout fuit declaratum in cit. bulla et epist. et in responso S. Pœnitentiariæ die 23. Julii 1756.

28. An possit ad carnes dispensatus in eadem mensa comedere carnes et pisces?

Minime, ex cit. encyclica Ben. et bulla Clem. Et hoc intelligendum est de Quadragesima non solum, sed et de aliis diebus jejunii extra illam, et de Dominicis ipsius Quadragesimæ, sicut fuit declaratum in laudata encyclica (10).

29. Utrum idem sit de dispensatis ad lacticinia vel pinguedinem?

Negative, prout habetur in prædicta encyclica.

30. An ad carnes vel lacticinia dispensati possint, semper ac volunt, istis vesci in Dominicis Quadragesimæ.

Pro dispensatis ad lacticinia certum est, quod possint, uti con-

---

(9) Relege dicta in III. tract. num. 86. cum (12).

(✱) Quare dispensatus ab unica comestione uti non potest cibis vetitis. Dispensatus ad carnes (et idem dicendum de dispensato ad lacticinia) nequit per diem potione uti mixta lacte, aut jusculo ex carne etc. ex bulla Clem. XIII. *Appetente*: tenetur ad unicam comestionem (dummodo non sit dispensatus ob virium debilitatem), et ad horam jejunantibus præscriptam; ex cit. bulla *Appetente*, et ex epist. *Libentissime* Bened. XIV.

(10) Utrum idem sit tenendum in feriis sextis et sabbatis cujusque hebdomadis, quæstio est: at probabilius minime tenendum est.

Utens jusculo carnis potest pisces comedere.

stat ex generali praxi et usu (*h*). Idem valde probabilius dicendum est de dispensatis ad carnes; quia non tenentur diebus istis ad unicam comestionem.

31. An concessione ovorum et lacticiniorum intelligatur concessus usus pinguedinis?

Minime, omissa contraria sententia; magnum enim discrimen adest inter lacticinia, et pinguedinem. Excipe, si adsit in aliquo loco consuetudo diversa.

32. Quid dicendum hac in re de privilegio bullæ Cruciatæ?

Ex hac bulla omnes Christifideles utriusque sexus, sive cives, sive exteri in nostro regno morantes, dispentati sunt ad lacticinia, ova, et adipem, qui adhibetur ad modum condimenti, omnibus diebus prohibitis: excepta tamen hebdomada majore pro Archiepiscopis, Episcopis, aliis Prælatis, Sacerdotibus, et Regularibus utriusque sexus. Hoc privilegium est locale; idest si quis extra nostrum regnum reperiatur, non potest eo uti (11).

33. Quænam impotentia excusat a jejunio.

Omnis impotentia, sive physica, sive moralis; quando nempe grave damnum timetur ex jejunio: lex enim ecclesiastica non obligat cum gravi incommodo (✠ 12).

(*h*) Et ex declaratione Eminentissimi Zurlo primi Commissarii generalis Apostolici Bullæ nostro regno concessæ.

(11) Omnia superius dicta de dispensatis ad lacticinia et pinguedinem, accommodanda sunt ad hoc privilegium.

(✠) Ex hac ratione excusantur infirmi, convalescentes, valetudinarii, quibus jejunium affert damnum: sic etiam qui stomacho vacuo vertiginem capitis patiuntur, aut non possunt noctu calefieri, vel per notabile tempus somnum capere. Item prægnantes et lactantes; (quibus licet etiam carnes comedere, si puer sit infirmus) dummodo non sint adeo validæ et robustæ, ut absque ullo timore possint jejunium servare. Excusantur senes, qui utpote debiles indigent frequenti cibo. Quæstio est, utrum sexagenarii, etiam robusti, a jejunii obligatione sint immunes. Probabilius sunt immunes, nisi sint valde robusti; quia senectus ipsa morbus est. E contrario probabilius est mulieres quinquagenarias ad jejunium teneri, nisi alia adsit circumstantia; mulieres enim minori indigent cibo. Ex eadem ratione excusantur pauperes, qui ita indigent, ut non possint una vice sufficientem comestionem habere: immo possunt etiam carnes comedere, si alium non habent sufficientem cibum. Denique ad jejunium non tenentur conjuges, qui jejunando non possunt debitum reddere; quia præcepto Ecclesiæ prævalet debitum justitiæ.

(12) Ex veriori sententia qui voverit jejunare, puta semel in hebdomada, *toto vitæ suæ tempore*, ad jejunium tenetur etiam in ætate sexagenaria, nisi adsit specialis

34. Quinam ob laborem excusantur a jejunio?

Excusantur omnes, qui jejunantes nequeunt sine gravi incommodo aliquam artem exercere, sive ars ipsa sit laboriosa, sive persona sit debilis, sive alia adsit circumstantia (*i 13*).

35. Quinam denique excusantur ratione pietatis?

Omnes exercentes opera pietatis, charitatis, misericordiæ, devotionis etc. quæ sint majoris boni, quam jejunium. Intelligitur, quando opera ista sunt cum jejunio incompatibilia: uti est inservire multis infirmis, peregrinari ad loca sancta etc. modo opera ista ex justa causa assumantur, et differri non possint.

---

debilitatis ratio: contra si absque tali expressione, et absque advertentia ad hanc ætatem emiserit votum.

(*i*) Fertur quoad hoc oraculum Eugenii IV. sic declarantis: *Artifices laboriosas artes exercitantes, et rustici, sive divites sint, sive pauperes, non tenentur jejunare sub præcepto peccati mortalis.*

(*13*) Ob hanc causam a jejunio excusantur fossores, agricolæ, figuli, lapidicinæ, lanarii, textores, fullones, bajuli, aurigæ qui magnum laborem sustinent, nautæ remigantes, fabri murarii, lignarii, ferrarii, pistores, typographi prælum versantes, secantes lapides, percursantes urbem ad vendendas merces, iter facientes pedester per majorem diei partem, muliones et agasones pedester mulas aut asinos ducentes, et omnes alii laboriosas artes exercentes cum ingenti corporis agitatione. Iis addi possunt milites, præcipue si magnos perferant labores, cursores, sutores calceos conficientes, furnarii, coqui plures dapes et multis personis præparantes, famuli magnis laboribus tota die incumbentes, ornantes Templa scalas circumferendo etc. Convenit tamen, ut omnes prænotati aliquam etsi levem abstinentiam exerceant ad distinguendum diem jejunii. Notandum, quod isti tenentur ad abstinentiam a carnibus, etsi non teneantur ad unicam comestionem: in casu vero potius est servanda unica comestio, quam abstinentia a lacticiniis.

Molitores, argentarii, et sculptores probabilius non excusantur, nisi alia accedente causa. Non excusantur per se barbitonsores, sartores, pictores, scribæ, et horologiarii, nisi extraordinarius sit labor: sicuti etiam non excusantur per se medici, advocati, judices, cantores, lectores scientiarum, concionatores, et confessarii; sed tantum per accidens, nimirum si ratione alicujus circumstantiæ officiis suis jejunando satisfacere non possint. Notandæ sunt duæ prop. 30. et 31. ab Alex. VII. damnatæ. Prima ajebat: *Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit incompatibilis cum jejunio.* Altera erat: *Excusantur absolute a jejunii præcepto omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant; etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.*

SECTIO III.

DE JEJUNIO NATURALI AD EUCHARISTIAM REQUISITO.

36. *Jejunium naturale ad Communionem requisitum est de jure divino, an de jure ecclesiastico?*

Est de jure ecclesiastico tantum; sicuti constat ex Matth. 26. ex cap. *Ex parte* 6. de celebrat. miss. ex variis Conciliis, et præsertim ex Concil. Constantiensi.

37. *In quo consistit hujus præcepti natura?*

Ut nemo post cibum aut potum Eucharistiam sumat (k).

38. *Admittitne parvitatem materiæ?*

Minime, sicuti habetur ex generali sensu et praxi; nam qui communicat post quamcumque minimam partem sumptam, jam communicat post cibum vel potum.

39. *Quot requiruntur ad hoc jejunium frangendum?*

Juxta communem sententiam tria requiruntur (l). Ut, quod sumitur, sumatur ab extrinseco (*). 2. Ut sumatur per modum comestionis aut potationis (**). 3. Ut res sumpta habeat rationem cibi vel potus.

40. *Quænam res rationem habent cibi vel potus?*

Inter varias Theologorum opiniones quoad hoc probabilior vide-

---

(k) *Ex Concil. Constantiensi sess. 13. et aliis Concil.*

(l) *D. Thom. in 4. d. 8. q. 1. a. 4. q. 2.*

(*) Ob hanc rationem non frangit jejunium trajectio reliquiarum cibi, quæ remanserunt in ore (etsi fiat ex proposito juxta aliquos). Non frangit jejunium, qui sanguinem, saniem, aut aliud ex capite, gingivis, lingua, ore etc. etsi ex industria deglutit: quod etiam dicendum est de omni quod e stomacho egeritur aut evomitur.

(**) Ex hac secunda ratione non solvit jejunium pulvis tabaci per nares sumptus, etsi aliquid in stomachum casu transmittatur: probabilius solvit, si sit ex proposito per nares in stomachum trajectus. Idem dicendum de aqua, et de quocumque alio per nares trajecto. Non frangit jejunium omne quod per respirationem casu deglutitur; uti pulvis, pluvia, floccum nivis, culex, musca etc. Non frangit jejunium fumus tabaci aliusve rei; et juxta aliquos etiamsi ex industria immittatur in stomachum. Probabilius jejunium non frangit qui tabaci folium aut aliquod aroma, lignum etc. dentibus conterit: dummodo aliqua etsi minima pars non deglutiatur. Non frangunt parvæ guttulæ aquæ, vini etc. cum saliva immixtæ (etsi trajiciantur ex proposito juxta aliquos) et ex sensu D. Thomæ non frangit jejunium quidquid trajicitur per modum salivæ.

tur sententia, quod res digestibiles cibi potusve rationem habeant; istæ enim a stomacho alterari, et in substantiam hominis converti possunt: res autem indigestibiles cibi vel potus rationem non habent, e contraria ratione (*).

41. *An licet inter plura horologia dissonantia ultimum sequi ad Communionem accipiendam?*

Dissidium est: at communior sententia tenet, quod liceat; dummodo de errore non constet, et horologium non soleat errare (14).

42. *Potestne quis communicare, si post comestionem non dormierit, vel non sit digestus?*

Potest, quantum refert ad rationem præcepti. At convenit se abstinere, si qua nimia adesset mentis perturbatio (m): dummodo vigilia aut indigestio non proveniat ex causa naturali, aut rationabili et honesta; et homo non conetur turbationem repellere, ut devote accedat, sicuti recte notat B. Ligorius.

43. *Potestne Eucharistiam sumere, qui dubitat, utrum aliquid post mediam noctem sumserit?*

Dissident Doctores: aliqui negant; qui tutior pars est eligenda: B. Ligorius vero cum aliis permultis sentit, quod possit; quia lex jejunii non est positiva, ita ut præcipiatur jejunium tanquam requisitum absolute necessarium ad communicandum; sed est prohibitiva, qua prohibetur quisque ad Communionem accedere, si aliquid cibi aut potus sumserit: quare probandum est factum jejunii fracti, ut quis communicare prohibeatur; et bene possidet libertas communicandi, usquedum non constat de fractione jejunii.

44. *Licetne statim post Communionem manducare vel bibere?*

Licet, dummodo adsit aliqua caussa: sine caussa esset veniale contra Sacramenti reverentiam; ita Theologi cum D. Thoma (n).

(*) Res indigestibiles sunt capilli, ungues, metallum, vitrum, filum ex serico aut lana, ossicula fructuum omnino depurata etc. Digestibiles autem sunt charta, palea, filum ex lino, cera (cum cera fere semper retineat aliquid mellis admixtum), et juxta aliquos etiam terra seu creta, quia in ea aliquid invenitur a stomacho alterabile, et nutritivum.

(14) At probabilius non potest communicare, qui post primum ictum horologii et ante ultimum aliquid deglutit; quia ad primum ictum jam hora est expleta.

(m) *D. Thom. 3. p. q. 80. a. 8. ad 5.* (n) *Ibid. ad 6.*

45. Potestne aliquando quis non jejunus licite communicare?

Potest in sequentibus casibus: 1. In periculo mortis; urget enim præceptum divinum, et bonum infirmi. 2. Si periculum adsit, ne Eucharistia pereat vel male tractetur. 3. Si grave oriturum sit scandalum ex omissione Sacrificii, vel Communionis. 4. Si sumptio Eucharistiæ sit necessaria ad perfectionem vel complementum Sacrificii. 5. Ad vitandum periculum mortis; dummodo non exigatur in contemptum Religionis vel Ecclesiæ.

46. Utrum possit Sacerdos ad Viaticum ministrandum non jejunus celebrare?

Aliqui affirmant; quia urget in infirmo præceptum divinum, et ejus magna utilitas. Alii vero cum B. Ligorio probabilius negant; nam in Sacerdote adest tantum præceptum non celebrandi nisi jejunus, quod non potest violare, ut moribundus suum adimpleat præceptum, ad quod nec ipse moribundus tenetur, cum per ipsum non stet: neque excusat utilitas moribundi; quia hujusmodi Sacramentum extremæ necessitatis non est. At omnes concedunt, si Eucharistia fiat per accidens extremæ necessitatis; ut puta si moribundus non posset Pœnitentia neque extrema Unctione muniri: sicuti etiam si Sacerdos celebrare deberet ad dandum sibi Viaticum; in ipso enim urget præceptum divinum ecclesiastico præferendum, ut ait B. Ligorius cum aliis.

APPENDIX V.

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

1. *Quid est Successio?*

Successio, prout hic accipitur, est modus acquirendi hæredi bona defuncti: seu jus quoddam ad bona defuncti (*).

2. *Quomodo aperitur successio?*

Aperitur vel morte naturali, vel amissione jurium civitatis ex aliqua damnatione orta (*a*): viventis enim non datur hæreditas.

3. *Quotuplici modo potest quis succedere?*

Multiplici modo: 1. aut jure proprio, aut jure repræsentationis: jure proprio, quando quis sine ulla repræsentatione ipsemet immediate succedit: jure repræsentationis, quando quis non per se immediate succedit, sed alium præmortuum repræsentans. 2. Successio vel est in capita, vel in stirpes: in capita succeditur, cum pro numero capitum ex æquo hæreditas dividitur (*b*): in stirpes vero, cum pro numero stirpium hæreditas tribuitur, nempe repræsentantes tantum ferunt, quantum repræsentatus, si viveret, accepturus fuisset (*c*).

4. *Quid est repræsentatio?*

Est fictio legis, qua repræsentans in locum, gradum, et jura repræsentati admittitur, et ingreditur (*d*).

5. *Inter quas personas locum habet repræsentatio?*

In linea recta habet locum inter mortuum, et ejus descendentes in infinitum, et in omnibus casibus: in linea transversali ad-

(*) Testamentaria est, vel ab intestato, prout adest, vel non validum testamentum. Successio ab intestato vocatur quoque *hereditas legitima*; quippe quæ a lege defertur sine facto defuncti: hinc heres testamentarius est, vel legitimus. Præcipue hic loquimur de successione ab intestato.

(*a*) [*art. 638.*] (*b*) *Novell. 118. cap. 3. in fine.*

(*c*) *Novell. cit. cap. 1.* §. Cum filius *6. et* §. Sed nos *16. Inst. de hæredit. quæ ab intestato etc. alibique.*

(*d*) [*art. 660.*]

mittitur repræsentatio in favorem filiorum, et descendentium ex fratribus vel sororibus defuncti, quatenus dictos præmortuos fratres vel sorores repræsentant, sive succedant cum fratribus et sororibus defuncti, sive (præmortuis omnibus defuncti fratribus et sororibus) succedant cum eorum descendentibus in gradu inæquali (*e*).

6. Quinam non possunt succedere?

1. Non adhuc conceptus tempore quo aperta est successio: 2. qui nascitur non vitalis: 3. successionis indigni (*f*).

7. Quinam sunt successionis indigni?

Sunt sequentes: 1. qui est damnatus uti occisor defuncti, aut quia defuncto vitæ periculum creaverit: 2. qui defunctum accusavit de delicto capitali: 3. qui testatorem ad disponendum coëgit: 4. qui defunctum a testando vi prohibuit: 5. qui ætate major sciens suam qualitatem hæredis, et occisionem defuncti, hanc occisionem per sex menses a die scientiæ justitiæ non denuntiaverit: excipitur tamen, si magistratus ex officio processerit; et quando dictus hæres est ascendens vel descendens occisoris, ejusve affinis in linea recta, aut conjux, aut frater, aut soror, aut patruus, avunculus, amita, matertera, aut nepos, vel neptis (*g*).

8. Indignus potestne aliquando succedere?

Maxime, quando scilicet a defuncto expresse ad successionem admissus fuit per actum authenticum, vel per testamentum plene liberum (*h*).

9. An indignitas patris noceat filiis?

Minime, sive succedant jure proprio, sive jure repræsentationis. Pater tamen nullum habere potest usumfructum ex tali hæreditate (*i*).

10. Quonam ordine successio procedit?

Ordine hic expresso: 1. succedunt filii legitimi, etiam legitimati per subsequens matrimonium, et adoptivi, omnes in capita, nullo sexus discrimine; necnon descendentes ex filiis præmortuis, in stirpes tamen et per repræsentationem (*k*). 2. Si defunctus sine

---

(*e*) [*art. 661. et 663.*] (*f*) [*art. 646. et 648.*]
(*g*) [*art. 648. et 649.*] (*h*) [*art. 650. et 651.*] (*i*) [*art. 653.*]
(*k*) *Novell. cit. cap. 1.* §. Sui autem 1. et Sed ea 14. *Instit. eod. et alibi, cap.* Tanta 6. *qui filii sint legitimi* [*art. 667. et alibi.*]

liberis, et descendentibus decesserit, tunc succedunt pater, mater (aut eorum superstes, et si ambo genitores decesserint, tunc ascendens proximus sive sit paternus, sive maternus) fratres, sorores, omnes isti simul in capita, et filii fratris vel sororis præmortuæ in stirpes jure repræsentationis (*l 1 A*): at si tantum sint superstites filii sororum vel fratrum, omnes succedunt in capita sine repræsentatione: et idem dicendum de aliis fratrum vel sororum descendentibus, si reperiantur in gradu æquali (*m*). 3. Si nullus ex prædictis extiterit, propinqui a latere proximi, remotioribus exclusis, usque ad duodecimum gradum succedunt, in quacumque linea ipsi sint (*n 2*). 4. Filii naturales matri semper, et patri quando sunt ab ipso legitime recogniti, succedunt ordine sequenti: si defuncti adsint filii, aut descendentes, aut ascendentes legitimi, filii naturales succedunt in medietate illius partis, quam ipsi accepissent, si legitimi fuissent: besem consequentur, si adsint propinqui collaterales in gradu successionis: totum habebunt, si nulli existant legitimi hæredes: et si præmoriantur, eorum filii et descendentes omnia poterunt exposita jura repræsentare. Sed nullum habebunt jus super bona propinquorum patris atque matris; quamvis sint legitime recogniti (*o B*). 5. Si defunctus nullum reliquerit propin-

---

(*l*) [*art. 668. et sequent.*]

(*1*) In dote, vel in alia re donata existente in specie præferuntur ascendentes, a quibus fuit data [*art. 670.*]

(*A*) Jure romano avus et avia paterna admittebantur cum matre, non vero avus et avia materna cum patre. Adscendentes ultra primum gradum, si paterni et materni concurrebant, et erant ejusdem gradus, primi in unum semissem, secundi in alterum succedebant, etsi ex alterutra parte unus reperiebatur, *novell. cit. cap. 2.* Fratres et sorores concurrebant cum adscendentibus, si erant germani, *loc. cit.* et filii fratrum præmortuorum tunc ad hereditatem cum adscendentibus in stirpes vocabantur, si unus saltem germanus frater superstes fuisset, *novell. 127. cap. 1.* Fratres et sorores germani, utpote conjuncti ex utroque latere, præferebantur consanguineis et uterinis, et repræsentabantur a suis filiis et filiabus, *novell. 118. cap. 3.*

(*m*) [*art. 664.*] (*n*) [*art. 673.*]

(*2*) Omnes adhuc expositi sunt hæredes legitimi, qui nempe ipso jure hæreditatem acquirunt [*art. 654. et aliubi.*] et istorum successiones dicuntur regulares.

(*o*) [*art. 674. 675. et 677.*]

(*B*) Lege romana filii naturales matri, etsi illustri, et ceteris per maternam lineam parentibus etiam cum justis liberis ex æquo succedebant, *l. 2. et 8. D. unde cognati, et l. 5. C. ad senatusc. Orfitian.* Patri vero succedebant in sextantem cum concubina in capita dividendum, modo nec justi liberi, nec uxor extabant: nam his extantibus tantum

quum in gradu successionis, neque filios naturales, ejus hæreditas ad conjugem pertinebit (*p*). 6. Denique si neque conjux superstit, statui erit hæreditas (*q* 3 *C*).

11. An pater et mater filiis naturalibus succedant ?

Maxime, si filii naturales præmoriantur sine liberis : at pater succedit, si illos legitime agnoverit. Immo si filii naturales sine liberis moriantur post mortem patris et matris, bona, quæ acceperunt a patre aut matre, ad istorum filios legitimos redibunt; dummodo hujusmodi bona existant in specie : in aliis bonis succedunt fratres sororesque naturales, aut eorum descendentes (*r D*).

12. Quid dicendum de legitimatis per Principis rescriptum, de adulterinis, incestuosis, et aliis ex damnata copula natis ?

Legitimati per Principis rescriptum eodem succedunt modo, ac filii naturales (*s E*). Adulterini, incestuosi etc. alimenta tantummodo ex hæreditate petere possunt, habita proportione bonorum patris aut matris, et numeri hæredum : sed si opera patris vel matris in aliquo artificio sint instituti, aliove modo sint ipsis alimenta constituta, nullum habebimt jus ad parentum hæreditatem (*t F*).

arbitrio boni viri erant alendi, *novell. 89. cap. 12. §. 4. et ult.* Hujusmodi successio in sextantem ad solos filios primi gradus deferebatur, *l. 12. C. de natur. liberis* : et tunc locum habebat, si pater unam, non plures retinuisset concubinas, et istam habuisset domesticam et quasi focariam, certoque adfectu, non vagæ libidinis causa; et filii in domo nati essent, *cit. novell. §. 4. et sequ.* Fratres vero naturales, et spurii uterini, seu ex eadem matre, succedebant et sibi invicem, et collateralibus legitime natis, ac si legitimi nati essent ipsi, *l. 2. et 4. D. unde cognati.* Idem dicendum de sororibus : idemque de collateralibus legitimis relate ad eos.

(*p*) [*art. 683.*] (*q*) [*art. 684.*]

(3) Filii naturales, conjux superstes, et status non *ipso jure* hæreditatem acquirunt, sed a tribunale civili, facto inventario, postulare debent immissionem in hæreditatem [*art. 685. et 686.*]

(*C*) Idem erat ordo de jure romano, *novell. 118. cap. 1. 2. et 3. alibique*, nonnullis exceptis, prout est in adnotationibus dictum.

(*r*) [*art. 680. et 681.*]

(*D*) Jure rom. parentes filiis naturalibus, et illegitimis succedebant in illis, in quibus isti filii eis succedebant, *novell. 89. cap. 13.*

(*s*) [*art. 683.*]

(*E*) Jure romano legitimati per rescriptum principis ad omnem successionem admittebantur, si nulli antea legitimi nati extabant; aliter præcipuam tantum habebant legitimam, *novell. 74. cap. 1. et novell. 89. cap. 9. aliubique.*

(*t*) [*art. 678. et 679*].

(*F*) Lege romana spurii, seu vulgo quæsiti, matri (cujus respectu spurii non

13. Conjux non succedens habetne aliquod jus in hæreditate?

Si est inops, habet jus ad alimenta ex hæreditate præstanda, quandiu vivet. Hæc alimenta quartam non excedent hæreditatis partem, si nulli supersint defuncti filii, vel sint tres, minusve: si plures sint filii, portionem virilem, nempe æqualem excedere non debent (*u*). Uxor sive sit inops, sive non, jus habet ad habitationem habendam pro primo anno, et ad vestes luctus (*x G*).

14. Requiriturne acceptatio in hæreditate capienda?

Maxime, nemo enim invitus hæreditatem acceptare tenetur (*y*).

15. Quotuplex esse potest acceptatio?

Esse potest 1. expressa, vel tacita: expressa, quando actu authentico vel privato titulus assumitur, aut qualitas hæredis: est vero tacita, quando hæres aliquid agit, quod necessario ponit voluntatem acceptandi, uti esset donatio, venditio, aut cessio hæreditatis etc. (*z*) 2. Aut est pura et simplex, aut cum beneficio inventarii (*a*), prout fiet absque vel cum inventario.

16. Quodnam intercedit discrimen inter acceptationem puram, et acceptationem cum inventarii beneficio?

Magnum intercedit discrimen. Acceptatione pura defuncti, et hæredis unum efficitur patrimonium; proindeque ad omnia tenetur hæres (*4*). Si vero cum beneficio inventarii fit acceptatio, tunc

---

sunt) ceterisque parentibus per maternam lineam cum justis liberis ex æquo succedebant: at si mater erat illustris, tunc ei spurii succedebant, si legitima soboles defecisset, *l. 5. C. ad senatusc. Orfit.* Adulterini, incestuosi, et alii ex damnato complexu nati successione nec non alimentis privabantur, *novell. cit. 89. cap. 15.* Hæc satis dura constitutio ex æquitate juris pontificii in foro recepta moderata fuit, *cap.* Cum haberet *5. de eo qui duxit*, in quo decernitur hujusmodi filiis alimenta deberi.

(*u*) [*art. 689. 690.*] (*x*) [*art. 1383.*]

(*G*) Jure romano uxor pauper etiam cum liberis, parentibus, et lateralibus succedebat viro locupleti, in portionem virilem, si plures, quam tres, erant heredes; in quartam, si pauciores: hujus portionis solum usumfructum, si cum liberis propriis concurrebat; si cum ceteris heredibus, proprietatem etiam adquirebat, *novell. 117. cap. 5. et alibi.* Uxor dicebatur pauper, si ejus facultates ad quartam defuncti conjugis facultatum non pertingebant.

(*y*) [*art. 692.*] (*z*) [*art. 695. et 697.*] (*a*) [*art. 691.*]

(*4*) Non desunt tamen docentes id esse a lege dispositum in præsumptione facti; quare heredem sine inventario non obligari in conscientia ad debita defuncti ultra vires hereditatis,

1. hæres non tenetur ultra vires hæreditatis debita sólvere: immo bona hæreditatis creditoribus atque legatariis cedere potest, et ita se a solutione liberare: 2. bona sua non confunduntur cum hæreditate; et si ipse contra defunctum actiones habeat, hæ non confunduntur, sed simile cum aliis creditoribus per omnia habet jus (*b* 5).

17. Cuinam cedit hæreditas repudiata?

Aliis cohæredibus (si adsint) *jure accrescendi*: aliter ad gradum subsequentem devolvitur (*c* 6),

---

(*b*) [*art. 719.*]

(5) Inventarium est juridica descriptio bonorum omnium, quæ sunt in hereditate tempore mortis. Olim vocabatur etiam *Repertorium*. Quomodo sit faciendum, quales ejus effectus, perlege in sect. 3. cap. 5. tit. 1. lib. 3. part. 1. Cod. noviss. et in tit. 4. lib. 8. part. 3. ejusdem Cod.

(*c*) [*art. 703.*]

(6) Hæres hæreditati renuntians habetur veluti si numquam fuisset hæres [*art. 702.*] proindeque repræsentari non potest [*art. 704.*]

Quomodo sit dividenda hereditas, quænam in parte sint imputanda, et quanam ratione sit facienda collatio, habentur in cap. 6. cit. tit. 1. Videsis in fine sequentis appendicis.

APPENDIX VI.

DE TESTAMENTIS

BREVIS DATUR NOTITIA SECUNDUM JUS NOSTRI REGNI.

SECTIO I.

DE NATURA, ET FORMA TESTAMENTI.

1. *Quid est Testamentum?*

Testamentum est actus, quo testator de omnibus suis bonis, vel de parte disponit pro tempore post mortem suam, cum facultate revocandi (*a**).

2. *Testamenti valor est de jure naturali etiam, an tantum de jure civili?*

Magna hæc est inter Jctos controversia. Alii volunt esse de jure civili tantum; quia testamentum non valet, nisi morte interveniente: quare testator disponit de rebus, quarum dominium non habet; dominium enim morte finitur. Alii vero tenent, etiam esse de jure naturali; quia momentum mortis, quo valet testamentum, ad vitam pertinet: quare testator disponit tempore, quo adhuc est dominus.

3. *Quotuplex esse potest testamentum?*

Triplex esse potest, *holographum* scilicet, aut *per actum publicum*, aut *in forma mystica* (*b*). Testamentum holographum integre scriptum, et subscriptum a testatore, addito die et anno, sine ulla alia solemnitate firmum est (*c*). Pro testamento per actum publicum, præter alias solemnitates communes a lege requisitas pro quocumque actu authentico, sequentes aliæ requiruntur. Duobus

---

(*a*) [*art. 815.*]

(*) Huic congruit definitio juris romani, qua testamentum ita describitur: *Voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit*, l. 1. D. *qui testamenta facere possunt.*

(*b*) [*art. 894.*] (*c*) [*art. 895.*]

Notariis, et coram duobus testibus, vel uni Notario, et quatuor testibus a testatore dictari debet, et a Notario scribi. Ita scriptum testatori audienti est legendum coram ipsis testibus, et ab ipso testatore et testibus in omnibus foliis subscribendum (sed rure sufficit, ut subscribatur ab uno teste, si duo adsunt Notarii, aut a duobus de quatuor testibus, si unus adest Notarius): de toto facienda est mentio in testamento; sicut etiam, si testator nesciat, aut nequeat subscribere, de hoc in testamento facienda est mentio (*d*). Testamentum denique in forma mystica sequenti modo est ordinandum. A testatore subscribendum est testamentum, sive ab ipsomet sit scriptum, sive ab alio: clausum et obsignatum debet testator illud tradere Notario coram sex testibus, declarans illud esse suum testamentum: hujusmodi declaratio a Notario scribenda est super eandem chartam clausam, et superscriptioni subscribere debet testator, Notarius, et sex testes: et si testator testamentum subscribere nesciat, vel non possit, septimus adhibendus est testis, qui etiam superscriptioni subscribat. At si testator superscriptioni non possit subscribere, significanda est causa (*e*).

4. Quid si testator nequeat loqui?

Potest testamentum in forma mystica conficere: sed ipse debet illud integrum scribere, et subscribere, addito die et anno: ipse debet coram Notario et testibus scribere declarationem, quod illud sit suum testamentum; et Notarius actu superscriptionis declarat, illa verba coram se et testibus fuisse a testatore scripta (*f*).

5. Quibus qualitatibus affecti debeant esse testes?

Debent esse mares, ætate majores, Regis subditi, et gaudentes juribus civilibus: nequeunt esse hæredes ipsi, neque legatarii, neque eorum consanguinei, aut affines usque ad quartum gradum inclusive, neque eorundem Notariorum adjutores (*g*).

6. Estne testamentum validum, si qua desit de præfatis solemnitatibus?

De jure civili est nullum (*h*): utrum valeat in conscientia, quæstio est a quæstione num. 2. exposita dependens (*i*).

(*d*) [*art. 896. et sequent.*] (*e*) [*art. 902. et sequent.*]
(*f*) [*art. 905.*] (*g*) [*art. 901. et 906.*] (*h*) [*art. 927.*]
(*i*) Nonnulli tenent esse validum in conscientia ante judicis sententiam, et contra:

SECTIO II.

DE VARIIS PER TESTAMENTUM DISPONENDI MODIS.

7. *QUotuplici modo quisque potest de rebus suis per testamentum disponere?*

Potest disponere non solum titulo *institutionis hæredis*, sed etiam titulo *legati*, vel quacumque alia denominatione ad suam apta manifestandam voluntatem (*i*).

8. Quænam præcipuæ a jure numerantur testamentariæ dispositiones?

Sequentes: aut *universales*, aut *titulo universali*, aut *titulo particulari* (*k*).

9. *Quænam est* institutio hæredis, *seu* legatum universale?

Est testamentaria dispositio, qua testator uni, vel pluribus dat universitatem bonorum, quæ ipse post mortem suam relinquet (*l*).

10. *An iste scriptus hæres, seu legatarius universalis morte testatoris* ipso jure *immediate habeat hæreditatis possessionem?*

Si adsint hæredes, quibus legitima debetur, hæres scriptus, sive legatarius universalis ab ipsis debet dimissionem petere bonorum, quæ in testamento comprehenduntur. Si vero tales non adsint hæredes, tunc a morte testatoris bona *ipso jure* transibunt ad hæredem scriptum; sive legatarium universalem: at si testamentum est holographum, aut mysticum, hæres institutus, seu legatarius univer-

---

istorum hæc tertia opinio ea nititur ratione, quod valor testamenti sit de jure naturæ, et nullus redditur per sententiam judicis. At hic est punctus, utrum sit de jure naturali testamenti valor: præterquam quod leges clare decernunt testamentum solemnibus destitutum non valere, etiam ante judicis sententiam.

Quoad dispositiones pias, si heredi constat testatoris voluntas, heres tenetur in conscientia illas implere: ita communiter ex cap. 11. de testam. etc. Idem communior tenet sententia, si testamentum nullum quoad causas non pias, legata pia contineat. Heres tamen non tenetur in suo præjudicio uni testi credere, quamvis probatissimo, ex cit. cap. et ex cap. 23. de test. et attestation. In nostro regno ad legata piis locis relicta requiritur decretum Principis: quod quidem non conceditur, nisi habeat dispositio requisitas solemnitates.

Quomodo sint ordinanda testamenta militum in expeditione, vel in arce ab hostibus obsessa, testamenta navigantium, vel in terra aliena, vel tempore pestis, habetur ex sect. 2. cap. 5. tit. 2. lib. 3. part. 1. cod. noviss.

(*i*) [*art. 892.*] (*k*) [*art 928.*] (*l*) [*art. 929.*]

salis ordine judicis Circumdarii in possessionem est immittendus (*m*).

11. *Quænam est dispositio*, *seu legatum* titulo universali?

Illud est, quo testator quotam partem bonorum suorum, de quibus disponere potest, alicui legat; uti esset dimidium, tertia pars, aut immobilia, vel mobilia, aut istorum pars etc. (*n*)

12. *An legatarii titulo universali* ipso jure *possessionem habeant de bonis sibi legatis?*

Minime, sed dimissionem petant ab hæredibus, quibus debetur legitima, vel ab hæredibus testamentariis, seu legatariis universalibus, vel ab hæredibus ex successione (*o*).

13. *Quænam est dispositio*, *seu legatum* titulo particulari?

Quæcunque alia dispositio, quæ non est universalis, neque titulo universali (*p*).

14. *Valetne legatum de re aliena?*

Minime; quia testator de re sua, non de aliena potest disponere: et hoc est, quamvis testator scivisset rem esse alienam (*q*).

15. *An legatarius titulo particulari statim a morte testatoris jus acquirat in re legata?*

Maxime, ita ut ad hæredes suos illud transfundat: attamen ab hæredibus petere debet dimissionem rei legatæ, uti dictum est de legatario titulo universali n. 12.

16. *Ad quid tenentur omnes supradicti hæredes, et legatarii?*

Legatarius generalis, seu hæres institutus, qui concurrit cum hærede, cui debetur legitima, tenetur ad omnia onera, et debita hæreditatis, personaliter pro sua parte, et hypothecarie pro toto: item tenetur ad omnia legata, excepto casu reductionis (*r*). Legatarius titulo universali eodem modo tenetur ad onera, et debita hæreditatis: sic etiam cum hæredibus legitimis pro legatis peculiaribus contribuere tenetur, quando solummodo de hac quota titulo universali disposuerit testator (*s*). Legatarius titulo particulari subjicitur tantum reductioni legati (si adsit locus); et creditorum hypothecariæ actioni, sed habet regressum contra hæredes (*t* 2).

(*m*) [*art. 930. 932. et 934.*] (*n*) [*art. 964.*] (*o*) [*art. 965.*] (*p*) [*art. 964.*]
(*q*) [*art. 975.*] (*r*) [*art. 935.*] (*s*) [*art. 966. et 967.*] (*t*) [*art. 974. et 979.*]

(2) De iis, qui possunt per testamentum disponere, satis constat ex dictis tract. IX. part. I. cap. II. sect. II. et part. II. cap. XV. et antecedente appendice. Ex quibus quoque

SECTIO III.

DE EO, QUOD POTEST PER TESTAMENTUM DISPONI.

17. *Quantum potest quis per testamentum disponere?*

Omnia sua, præter legitimam (*u*).

18. *Quid est legitima?*

Legitima est certa portio hæreditatis, quæ jure personis, quæ ex officio pietatis non possunt excludi, relinqui debet (*x*).

19. *Quibus debetur legitima?*

Filiis, et nomine filiorum per repræsentationem omnes comprehenduntur descendentes, in quocumque gradu ipsi sint (*y*). In defectu filiorum debetur legitima ascendentibus, in quacumque linea ipsi sint (*z*).

20. *An possint aliquando dictæ personæ legitima privari, quamvis non sint jure indignæ?*

Maxime, quando nempe a testatore expresse sunt exhæredatæ ob aliquam causam a lege admissam, et in testamento declaratam (*a*).

21. *Ob quas causas potest filius exhæredari?*

Ob sequentes causas: 1. si contra genitorem sævitias commiserit, aut quodcumque delictum: 2. si irrationabiliter alimenta ei

---

fas est videri quinam debeant vel possint testamento accipere; præter mox dicenda.

Quod peculiariter est notandum, Religiosos non posse testari; quia non sunt sui juris, et rerum dominium non habent, *authent.* Ingressi *C. de sacros. Eccles.* posse autem Novitios, etiam sine Superioris licentia, *authent.* Nunc autem *C. de Episc. et Cleric. et can. 9. caus. 19. q. 3.* ac etiam absque venia Ordinarii loci, et extra duos ultimos probationis menses. Religiosos denique posse succedere, et heredes institui, si sint de ordine, qui possidet in communi, *Clement. 1. de verb. signif.* sed in casu Monasterium acquirit.

Clerici de bonis patrimonialibus, quasi-patrimonialibus, et parsimonialibus valide atque licite testantur: de ecclesiasticis superfluis, illicite; utrum valide, disputatur, *cap. 7. 8. et 9. de testam. etc.* Relege dicta in tract. VI. num. 129. et not. (*19*), ac in tract. IX. num. 37. in (*20*).

Ex probabiliori sententia juxta præceptum charitatis et pietatis sub gravi tenemur fratribus et sororibus graviter indigentibus relinquere, saltem quantum satis est ad ipsorum indigentiam sublevandam. Erga alios consanguineos remotiores probabilius tenemur sub levi.

(*u*) [*art. 829. et sequent.*] (*x*) *Cavall. inst. jur. rom. lib. 2. tit. 13. §. 18.*

(*y*) [*art. 829. et 830.*] (*z*) [*art. 831.*] (*a*) [*art. 848.*]

negaverit: 3. si dereliquerit sine cura genitorem furiosum factum: 4. si eum non redemerit, cum posset, captivum apud hostes: 5. denique si filia, contradicente patre, meretricium exercuerit (*b*).

22. *Quibus de causis pater vel mater possunt exhæredari?*

Pluribus: et 1. si filium non redemerint, cum possent, captivum apud hostes: 2. si ei sine causa alimenta negaverint: 3. si furiosum effectum filium sine cura dereliquerint: 4. si pater matri, vel mater patri venenum præbuerit, atrocesve injurias intulerit: 5. si quis eorum alicui de propriis filiis vitæ periculum creaverit. Iisdem de causis exhæredari potest quicumque ascendens (*c* 3).

23. *Quanta est hujusmodi legitima?*

Pro filiis, et descendentidus est medietas bonorum: pro ascendentibus est medietas illius quotæ, quæ illis obtigisset ab intestato(*d*).

24. *Potestne huic legitimæ renuntiari?*

A filiis nullo modo potest, neque quacumque prævia solutione, transactione, donatione, promissione etc. idem dicendum de ascendentibus (*e*).

SECTIO IV.

DE SUBSTITUTIONIBUS.

25. *Quid est Substitutio?*

Est subrogatio hæredis, vel legatarii, vel donatarii secundo loco scripti in locum primi deficientis.

26. *Quotuplex esse potest?*

Duplex, vulgaris, et fideicommissaria: prima est, quando alius subrogatur uni deficienti, vel quia iste non vult, vel quia non potest hæreditatem acceptare: altera est, quando hæredi quacunque expressione onus imponitur hæreditatem (totam, vel in parte) alii personæ conservandi, et restituendi (*f*).

(*b*) [*art.* 849.] (*c*) [*art.* 850.]

(3) Si exheres testatori præmoriatur, exheredatio ejus descendentibus non nocet, [*art.* 858.] Exheres aliunde non habens media ad vitam, potest ex hereditate stricta alimenta expostulare [*art.* 854.]

(*d*) [*art.* 829. *et* 831.] (*e*) [*art.* 708. *et* 836.] (*f*) [*art.* 936. *et* 941.]

27. Quotuplici modo potest fieri vulgaris?

Potest fieri aut unum uni substituendo, aut unum pluribus, aut plures uni, aut plures pluribus, aut cohæredem alteri cohæredi, aut extraneum cohæredi, aut extraneum, et cohæredem alteri cohæredi (*g*).

28. Ad quid tenetur hæres substitutus?

Ad omnia onera primo hæredi imposita, nisi aliter constet de voluntate testatoris. Sed conditiones in prima institutione appositæ non præsumuntur in substitutione repetitæ, nisi sit expresse declaratum (*h*).

29. An sit substitutio a lege permissa?

Vulgaris est permissa, uti habetur ex cod. noviss. part. 1. art. 936. et sequent. Fideicommissaria est omnino prohibita, et nulla: excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus est permissa, ex art. 942.

30. An nullitas substitutionis fideicommissariæ præjudicium afferat donationi, institutioni, vel legato, cui est adnexa?

Minime; sed tantum nullæ redduntur substitutiones omnes, etiam primi gradus (*i*).

31. Estne substitutio, si uni relinquatur ususfructus, et alteri nuda proprietas?

Minime: quare valida est dispositio, sive sit inter vivos, sive ultimæ voluntatis (*k*).

32. Quænam fideicommissariæ substitutiones sunt a lege permissæ?

Sequentes: 1. pater, mater, alii ascendentes, patruus, avunculus, amita, matertera, fratres, et sorores possunt minori, casu quo iste ante annos 18. completos absque liberis moriatur, aliam substituere personam, sed in illis tantum bonis, in quibus minor fuit hæres (*l*). 2. Pater, et mater possunt quotam disponibilem totam vel in parte, inter vivos vel per testamentum, filiis donare, cum onere restituendi suis nepotibus natis vel nascituris, sed in primo gradu tantum, omnibus in capita, absque distinctione ætatis, vel sexus (*m* 4). Eodem modo potest, qui filios non habet, bona sua fratribus vel

(*g*) [*ex art. 936. 937. et 940.*] (*h*) [*art. 939.*] (*i*) [*art. 943.*]
(*k*) [*art. 944.*] (*l*) [*art. 945.*] (*m*) [*art. 1003. et sequent.*].
(*4*) Isti vocati succeduut proprio jure, et libere [*art. 1005.*] et si quis eorum præmoriatur, ejus filii succedunt jure repræsentationis [*art. 1007.*]

sororibus donare, cum onere illa filiis restituendi natis vel nascituris (*n* 5). 3. Permittitur majoratus.

33. Quid est Majoratus?

Est dispositio, qua aliqua hæreditas relinquitur cum onere illam integram conservandi descendentibus legitimis et naturalibus instituti, per ordinem primæ-genituræ, cum jure repræsentationis in linea masculina de mare in marem (*o*).

34. Quænam conditiones ad majoratum requiruntur?

Plures: 1. familia debet esse nobilis: 2. habenda est Regis venia: 3. debet esse de bonis fundis rusticis, aut de censibus vel canonibus super fundis rusticis: 4. de bonis liberis, et de quibus potest institutor disponere: 5. ejus reditus non potest excedere triginta millia aureorum, neque duobus millibus aureorum minus esse, uti habetur ex lege 17. Octob. 1822. qua moderatus est art. 954. part. 1. cod. noviss. (*p* 6)

SECTIO V.

DE CADUCITATE, ET REVOCATIONE TESTAMENTI.

35. *Quotuplici ex capite dispositio testamentaria caduca evadit?*

Præter causas generales, ob quas testamentum nullum esse potest, dispositio testamentaria caduca evadit 1. si testatori præmoriatur donatarius, vel legatarius: 2. si moriatur ante eventum conditionis, sub qua fuit facta dispositio: 3. si res legata pereat ante mortem testatoris, etsi culpa ipsius; vel post ejus mortem, sed absque culpa hæredis: idem est si hæres fuisset in mora culpabili, quando apud legatarium quoque res periisset: 4. per renuntiationem, aut incapacitatem hæredis vel legatarii: 5. denique per conditionem non impletam, quando nempe conditio suspendit actus valorem (*q*).

(*n*) [*art. 1004.*]

(5) Reliqua de ista fideicommissaria substitutione habentur in cod. noviss. part. 1. lib. 3. tit. 2. cap. 6.

(*o*) [*ex art. 952.*] (*p*) [*art. 947. et sequent.*]

(6) Cætera de majoratu lege in sect. 7. cap. 5. tit. 2. lib. 3. part. 1. cod. noviss. et in dicta lege 17. Octob. 1822.

(*q*) [*art. 994. et sequent.*]

36. Potestne testamentum revocari?

Maxime, sive totum, sive in parte; *ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum* (*r*).

37. Quotuplici modo potest testamentum revocari?

Duplici modo, expresse, vel tacite: expresse, quando revocatur per aliud testamentum, vel per actum coram Notario, in quibus expresse declaratur mutatio voluntatis: tacite vero, quando 1. aliud conditur testamentum, in quo aliæ dantur dispositiones prioribus contrariæ, et incompatibiles: 2. quando testator rem legatam quocunque modo alienat, quamvis alienatio sit nulla, aut res iterum redeat in manum testatoris: sed in hisce casibus primum testamentum revocatur in toto, vel in parte, prout in toto, vel in parte dispositiones secundi testamenti dispositionibus prioris sunt contrariæ, vel prout res est alienata. Item potest testamentum revocari ob ingratitudinem, et ob prolem postea susceptam, uti dictum est in IX. tract. num. 314. et sequent. de donatione inter vivos, excepto casu de alimentis non præstitis (*s*).

SECTIO VI.

DE EXECUTORIBUS TESTAMENTARIIS.

38. Quinam dicitur Executor testamentarius?

Ille, quem testator reliquit ad suum exequendum testamentum: si vero neminem testator reliquit, tunc ipse hæres erit testamenti executor (*t*).

39. Quot, et quinam possunt esse testamentarii executores?

Possunt esse unus, vel plures, ad libitum testatoris (*u*). Nequeunt esse, qui se obligare non possunt: hinc nequit esse uxorata sine viri consensu; sed si est bonis separata, in defectu consensus viri sufficit judicis auctoritas: nequit esse minor, ne tutoris quidem aut curatoris auctoritate (*x* 7).

(*r*) *Ulpianus in l.* Quod si *4. D. de adimend. legat.* (*s*) [*art. 990. 991. 992. 993. et 1001.*]

(*t*) *Cap.* Nos quidem *3.* et Si heredes *6. de testam. etc.* et *novell. 131. cap. 11. alibiq.*

(*u*) [*art. 980.*] (*x*) [*art. 983. 984. et 985.*]

(7) Possunt quoque esse testamentarii executores Clerici, et Religiosi de licentia superioris: at Fratres de Observantia nullo modo.

40. Teneturne quisque in conscientia hoc munus acceptare, et exequi?

Non tenetur in conscientia munus acceptare; nulla enim adest obligatio: at tenetur acceptatum munus obire; quia per acceptationem se obligavit (γ).

41. Transitne hoc munus ad hæredes executoris?

Minime; quia est personale (z δ).

PRO CORONIDE ALIQUA ADDUNTUR DE COLLATIONE, ET IMPUTATIONE.

Quicunque hæres, etiam beneficiatus, ad aliquam hæreditatem concurrens conferre debet suis cohæredibus quidquid a defuncto accepit donatione inter vivos, sive directe, sive indirecte: excipitur tamen si ei sit facta donatio expresse titulo antepartis, aut collationis dispensatione [*art.762.*]. Sed hujusmodi donatio titulo antepartis, vel cum collationis dispensatione non potest excedere partem disponibilem: excessus collationi est subjectus [*art.763.*]. Prædictæ dispositiones valent, quamvis donatarius non præsumebatur hæres tempore donationis [*art.765.*]. Legata collationi non subjiciuntur, nisi sit a testatore expressum [*art.768.*]. Collationi est subjectum, quod datum est pro collocatione cohæredis, vel ad ejus

(γ) *Cap.* Joannes *19. de testament.* (z) [*ex art. 987.*]

(δ) Quomodo sint testamenta exequenda, et quinam observandi ritus, sancitum est in cod. noviss. part. 1. art. 833. et sequent. 986. et sequent. et alibi, et part. 3. toto lib. 8.

In foro conscientiæ heredes et executores sub gravi tenentur statim implere legata aliasque dispositiones, maxime pias, cum possunt.

Si bona defuncti non sint satis ad omnia legata solvenda, omnibus legatariis sunt pro rata distribuenda, etiamsi legata sint pia.

Si legati pauperibus distribuendi executio ad electionem et placitum alicujus sit relicta, iste potest quibuscumque vere pauperibus distribuere. Alias præferendi sunt 1. testatoris propinqui aliis, etsi pauperioribus, juxta gradum et speciem conjunctionis; 2. testatoris concivis extraneis: 3. magis indigentes, et præsertim nobiles: 4. pauperes probatioris vitæ, et Religiosos, qui ex eleemosynis vivunt: 5. in pari necessitate præferendæ sunt feminae. Executor pauper potest sibi aliquid applicare.

Si legata pia non possunt ad usum applicari a testatore intentum, non fiunt caduca; sed arbitrio Episcopi, et executoris in alium pium usum institutioni proximiorem sunt applicanda, *ex cap. 3. de testam. etc. et ex Trid. sess. 25. de reform. cap. 8.*

Potest summus Pontifex ultimas pias voluntates commutare, justa interveniente caussa: absque caussa probabilius non potest, *Trid. sess. 22. de reform. cap. 6.* Idem dicendum de Principe quoad dispositiones profanas. Episcopi vero probabilius non possunt.

debita solvenda [*art.770.*]: sed non quod solutum est pro ejus alimentis, educatione, instructione, supellectile ordinaria, vel ad nuptias, aut munera usus [*art.771.*]. Collatio non debetur legatariis, neque creditoribus hæreditatis [*art.776.*]. Reliqua de Collatione habentur in part. 1. Cod. noviss. lib. 3. tit. 1. cap. 6. sect. 2.

Omnis hæres, etiam extraneus, et omnis legatarius potest hæredem, qui legitimam sibi debitam velit, obligare ad imputandas donationes et legata ei facta a defuncto, quando donatio, aut legatum hac expressa imputationis lege sit factum, aut quando hæres, cui debetur legitima, reductionem quæret dispositionum defuncti, quia quotam disponibilem excedunt [*art.789.*]. Quidquid collationi non subjicitur, ne imputationi quidem est subjectum; legatis exceptis [*art.790.*].

APPENDIX VII.

DIRECTIO ANIMARUM AD VITAM SPIRITUALEM: IN QUA BREVIS QUOQUE DATUR DE ORATIONE TRACTATIO.

Quoniam ea mente hoc opus exaravi, ut Confessarii eo utentes sine alterius libri adjutorio, saltem in ordinariis, possint rite Sacramentales Confessiones excipere, atque Animas juxta propriam vocationem in salutis viam dirigere, mancum esset ipsummet opus, si nullum haberet de Vita Spirituali. Quapropter hanc aliam appendicem appinxi, ex qua breviter et commode hauriri potest quicquid ad animas juxta spiritum moderandas præcipuum sit. Occasione nacta, cum jam fuerim petitus, brevis datur de Oratione tractatio, quippe quæ prima est via ad vitam spiritualem capessendam. Dialogi rationem deposui, cum non soleat præsens doctrina examinis esse materia.

1. Finis vitæ spiritualis est Perfectio Christiana. Perfectio est plena et absoluta sui finis ultimi consecutio; tunc enim res aliqua in suo genere dicitur perfecta, quum finem, ad quem est facta, plene obtinet. Finis hominis est Deus: Deum consequi, seu cum Deo uniri est hominis perfectio. Homo Deo unitur per charitatem (*a*): tunc ergo perfectus est homo, quum Deum perfecte diligit: quare, ut ait D. Thomas, perfectio assequibilis in hac vita est charitas perfecta. Hinc Apostolus (*b*) inquit: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

2. Confessarii, ut pensum absolvant, non solum debent e suis pœnitentibus evellere vitia, sed etiam illos in virtutibus firmare, atque animas, siquas invenerint ad id vocatas, in viam perfectio-

(*a*) *1. Joan. 4. 16.* (*b*) *Coloss. 3. 14.*

nis dirigere. Nam si gaudium erit in cælo perditas oves ad Christi ovile reducere (c); quid erit animas ita excolere et adornare, ut se sponsas Deo in totum donent atque tradant? Sane acceptior est Deo anima una perfecta, quam mille imperfectæ.

3. Ad hoc primum sciat Confessarius, non omnes ad summam perfectionem sectandam esse vocatos; atque adeo non omnes promiscue ad illam hortetur, aut inducat, sed quos idoneos invenerit. Summa perfectio mons est altissimus, ad quem Angelus (d), seu ipse Dominus (e) hortatur, ut incendium sempiternum securius vitetur: qui se viderit non posse conscendere, melius est, ut in Segor, idest in parva civitate remaneat (f), communi Christiana vita contentus, quam montem virtutis arripiat, et ad sæcularia redeat: quæ quidem civitas (idest vita communis) licet parva, est tamen ad salutem tuta, nec ab æterno gaudio aliena.

4. Idonei et vocati videntur illi, qui peccata mortalia abhorrentes, progredi cupiunt in amore divino: quorum aliquem quum cernet Confessarius, omnem adhibere debet curam, ut eum in viam perfectionis introducat, atque accurate dirigat.

5. In quinque præcipuis sita est hujusmodi directio, in Oratione nempe, Mortificatione, Sacramentorum frequentia, in Consiliis evangelicis servandis, atque vitæ ordinato Systemate. De omnibus et singulis seorsus dicetur.

SECTIO I.

DE ORATIONE.

6. ORatio, ut ait S. Damascenus (g) est elevatio mentis ad Deum; vel, ut inquit S. Augustinus (h) est locutio ad Deum: cum nempe mens se elevat, atque Deo conjungit, eique loquitur, vel cum eo versatur, tunc habetur oratio.

7. Dividur 1.° in vocalem et mentalem: vocalis est quæ non

(c) *Luc. 15.* (d) *Gen. 19.* (e) *Deut. 18. 13. Matth. 5. 48. et alibi.*
(f) *S. Greg. in cit. cap. Gen.* (g) *Lib. 3. de fide.* (h) *In Psal. 85.*

animum tantum, sed et linguam occupat: mentalis est quæ, lingua silente, cor evocat ad secretum cum Deo colloquium.

8. Vocalis subdividitur in publicam, vel privatam: prima est illa, quæ auctoritate et nomine Ecclesiæ a ministris ad id deputatis Deo offertur; uti fit in Missa, Horis Canonicis etc. altera est, quam quisque suo motu et nomine ad Deum fundit pro se, vel pro aliis. Præterea vocalis est vel laudis et exaltationis, qua laudamus et exaltamus Deum ob suas perfectiones: vel est benedictionis et gratiarum actionis, quum nempe quis Deo benedicit, atque pro acceptis beneficiis gratias agit: vel denique est petitionis, qua Deo necessitates nostras cum fiducia communicamus, atque eum ad impendendam suam misericordiam humiliter rogamus.

9. Mentalis vero distinguitur in simplicem *Considerationem*, quæ est momentanea cujuspiam rei cogitatio: in *Meditationem*, quæ est sedula et affectuosa rei rimatio: et in *Contemplationem*, quæ est inspectio rei sine discursu (*i*).

§. *I. De Contemplatione.*

10. Contemplatio a meditatione multum differt: in meditatione quæritur Deus labore discursus; in contemplatione sine labore contemplatur Deus jam inventus: in meditatione anima operatur actibus suarum potentiarum; in contemplatione operatur Deus, et anima tantum patitur, in se recipiendo dona infusa, et solummodo operatur, quatenus ipsa lux et divinus amor, quibus tunc impletur, eam suaviter attentam reddunt ad contemplandam Dei bonitatem, qui tot illam cumulat donis.

11. Contemplatio vel est affirmativa, vel negativa. Affirmativa est quando anima beneficio lucis divinæ, sine sua opera aliquam cernit peculiarem veritatem, creatam vel increatam. Negativa est quum anima perfectiones divinas cognoscit, non in particulari, sed in genere; per quod conceptum acquirit valde majorem divinæ bonitatis etc. Hæc est altera longe perfectior: per hanc anima altissimam efformat de Deo ideam, quia cognoscit Deum non posse comprehendi.

(*i*) *Rich. de S. Vict. l. 1. de contempl. p. 3. Hugo l. 3. de anim. et alii communiter.*

12. Non solent tamen animæ, nisi per quosdam veluti præcedentes gradus, ad contemplationem duci. Gradus isti consuescunt esse *Oratio recollectionis naturalis*, vel *Otii contemplativi; Purgatio spiritualis*; et alia, ut infra.

13. Recollectio naturalis habetur, quando intellectus a rebus externis avulsus, et quasi intra animam ipsam collectus, absque labore, immo cum magna suavitate alicui attendit veritati, aut mysterio.

14. Otium contemplativum idem est fere, nisi quod in collectione anima attendit alicui peculiari cogitationi; in otio autem cum generali quadam Dei notitia se sentit in seipsa collectam, et suaviter Deo attractam. In hujusmodi collectione seu otio contemplativo probabilius anima cessare non debet a bonis actibus voluntatis, nempe amoris, oblationis etc. quoniam adhuc manet in statu activo.

15. Purgatio spiritualis habetur, quum Deus animam ponit in ariditate supernaturali, ut eam purificet a suis imperfectionibus, quæ illi contemplationem impediunt. Hæc ariditas est vel sensibilis, quæ nempe pertinet ad sensum; et est subtractio devotionis sensibilis: vel substantialis, quæ pertinet ad spiritum; de qua infra dicetur. Ariditas sensibilis aut est naturalis, quæ secum fert quoddam tædium rerum spiritualium, et obscuritatem levem et minus durabilem: aut est supernaturalis, de qua hic agitur, illa nempe quæ animam ponit in quadam obscuritate profundiori, magis durabili, et in diem incrementum accipiente; qua anima se sentit tanquam impotentem ad Deum amandum ob suas imperfectiones, quarum causa videtur facta Deo odibilis; non cessat tamen a recte operando.

16. Post hanc sensus purgationem solet Deus concedere donum contemplationis, quæ dicitur gaudii: cujus gradus sunt *Recollectio supernaturalis*, *Quies*, et *Unio*.

17. Recollectio supernaturalis, seu infusa est quam Deus operatur ministerio alicujus extraordinariæ gratiæ, animam ponens in statu passivo: per istam habetur collectio potentiarum non ex opera ipsius animæ, sed beneficio lucis, quam Deus infundit, et per quam excitatur in anima magnus et sensibilis amor divinus. In

hac recollectione vis amoris communicatur immediate sensibus externis, quos Deus ipse intra animam facit colligere.

18. Quies autem habetur, cum amor ardentior communicatur immediate spiritui in ipso animæ centro; qualis amor plerumque diffunditur etiam ad sensus externos, atque sensibilem producit dulcedinem.

19. Post recollectionem supernaturalem, et quietem Deus facit animam ad unionem transire: sed ante hanc unionem solet ipse animam purgare ariditate spiritus, quæ dicitur ariditas substantialis. Hæc est quædam lux divina, qua Deus facit, ut anima suum nihil agnoscat, seque totam in seipsa annihilet. Hic est ubi anima se cernit in quadam terribiliori agonia; quoniam sibi videtur a Deo expulsa, et derelicta; ipsæ spirituales operæ, quas exercet, eam magis contristant; illas enim anima credit omnes dignas suppliciis, quare se vidit Deo odibiliorem: immo aliquando sibi videtur Deum summopere odisse; hinc se credit a Deo, tamquam ei inimicam, reprobatam, et derelictam, et adhuc in vita experiri damnatorum pœnas. Aliquando, sic Deo permittente, millibus quatitur tentationibus et motibus impuritatis, blasphemiæ etc. præsertim desperationis, ita ut misera, non valens discernere voluntatis resistentiam, quæ revera adest, timeat jam consensisse, et ideo eo magis se credit a Deo derelictam.

20. Unio est activa vel passiva. Activa est perfecta uniformitas divinæ voluntanti: in hac consistit tota perfectio divini amoris. Passiva est illa, qua Deus, abundanti luce et amore infuso, in animæ centro eam sibi conjungit. In hoc statu anima constituta claram habet et experimentalem cognitionem Dei præsentis; quare, ut ait S. Teresia (k), *non videt, non sentit, neque advertit ita se habere*; nam ex abundantia lucis et amoris omnes suspenduntur animæ potentiæ; intellectus non cogitat, nisi Deum; memoria non recordatur, nisi Dei; et voluntas tali amore Deo conjungitur, ut nequeat aliud objectum amare. Unio activa satis est, immo necessaria; quare maximopere desideranda, et fervidis precibus petenda. Unio passiva maxima est gratia, sed ad perfectionem non necessaria.

(k) *Mans. v. c. 1.*

21. Tres autem sunt unionis species, scilicet unio *simplex*, unio *desponsationis*, et unio *consummata* seu *matrimonii spiritualis*. Prima est illa, de qua hucusque dictum est. Altera est validior; quoniam aliquid aliud majus secum fert. Ejus diversi gradus sunt *Ecstasis*, *Raptus*, et *Elevatio spiritus*. In ecstasi non solum suspenduntur potentiæ, uti in simplici unione, sed amittitur quoque sensuum usus, ita ut persona non videat, non audiat, et non percipiat, ne incisiones quidem, vel adustiones. Raptus vero est impressio validior gratiæ, qua Dominus animam ad unionem elevans, quodam subitaneo ac violento motu illam rapit; ita ut corpus ipsum aliquoties fiet leve, atque elevetur. Elevatio spiritus est, quando anima cum magna quadam violentia sentit se quasi extra se rapi, et supra seipsam extolli.

22. Anima ad tam sublimem conditionem evecta aliquando donatur visionibus, locutionibus, et revelationibus. At quoniam non paucæ sunt falsæ, et rarissimæ a Deo, si quando contingant, Confessarius Mysticos adeat, ut possit eas discernere, et animam in eis regere.

23. Paucissimæ sunt animæ, quas Deus per vias ducit extraordinarias et supernaturales: quare istis paucis contenti, lectorem amandamus ad auctores, qui fuse de præsenti materia tractarunt, si quam inveniat personam a se dirigendam, hujusmodi gratiis auctam. Nos vero ad ordinaria descendamus.

§. *II. De Meditatione.*

24. Nulli dubium, quod magna sit meditationis utilitas. Ipsa est quæ animam a peccatis præservat, atque revocat; eam levat ad Dei usque intimum consortium; divino accendit amore; ad virtutes excitat; atque celesti consolatione replet. Hoc in locis innumeris innuunt Scripturæ, unoque ore fatentur Doctores (*l*). En quare nullum aliud exercitium Diabolus quærit impedire, quam istud orationis.

(*l*) *Eccles. 14. 22. et 7. 40. Jer. 11. 12. Psal. 76. 6. et 7. Thren. 3. 28. Psal. 38. 4. et 118. 16. nec non 76. 4. et alibi: SS. Laur. Justin. Bern. August. Cirill. Alex. aliique sexcenti.*

25. Immo aliquo modo videtur necessaria; ut nempe anima in Dei gratia perseveret, fiat Deo docibilis, suas necessitates apprehendat, atque media salutis; et sine illa non progreditur ipsa in vita spirituali.

26. Propter quod Confessarius de meditatione rationem exigat ab anima spirituali, et illi imponat, ut in confessione ante omnia se accuset, si aliquando meditationem omittat. Immo illam insinuet ipsis peccatoribus; ut ita se possint a peccatis retrahere, et ne ad vomitum redeant. Summopere vero invigilet ad confortandas, ne orationem intermittant, illas animas, quæ sunt in ariditate spiritus: quæ nempe nullum amplius in oratione inveniunt consuetum pabulum atque consolationem; sed tædium, ariditatem, tormentum, et quandoque etiam tentationes. Hæc enim sunt aut opera Diaboli, ut animam a meditatione retrahat; aut beneficia Dei, ut anima ad sublimiorem elevetur conditionem, et puriori amore ipsum Deum diligat.

27. Materia meditationis esse possunt novissima, Dei beneficia, vitia fugienda, virtutes exercendæ, exempla Sanctorum, et omnium fructuosissima erit Passio D. N. J. C. At quisque illam seligat materiam, in qua majorem experitur devotionem.

28. Tempus in meditatione impendendum sua prudentia assignet Confessarius, circumstantiis inspectis: quale tempus ab initio sit modicum, puta tertia horæ pars, vel dimidium; et postea Confessarius, crescente spiritu, illud plus minusve augebit.

29. Locus proprior est Ecclesia (*m*): quisque alius locus erit quoque orationi aptus. Sit tamen a quoque mondano strepitu remotus, quoad fieri potest (*n*).

30. Tempus, quo est facienda, aptius erit matutinum (*o*). Aliud diei tempus etiam erit aptum, si nequeat mane fieri meditatio: immo itineris et laboris tempus meditationi non disconvenit, si hoc postulet necessitas.

31. Modus est illam facere flexis genibus: nisi alium requirat occasio etc.

(*m*) *Isa.* 56. 7. *Jer.* 7. 11. *Matth.* 21. 13. *Marc.* 11. 17. *Luc.* 19. 46.
(*n*) *Osea* 2. 14. *Matth.* 6. 6. (*o*) *Prov.* 8. 17.

32. Meditatio tribus constare debet partibus, præparatione nempe, consideratione, et conclusione.

33. Præparatio tres continet actus, quibus se debet anima exercere: actum fidei per præsentiam Dei; actum humilitatis in confessione propriæ miseriæ; et actum supplicationis, implorando lumen et auxilium supernum ad meditationem fructuose peragendam: ad hoc quæratur intercessio Mariæ Sanctissimæ, Angelorum, Sanctorum etc.

34. Consideratio tres alios habet actus. Primus est ipsa consideratio, seu discursus, per quem anima super aliquam materiam discurrens, illam sedulo meditetur: advertat autem se sistere ubi sentiat se moveri. Qui legere scit, lectione se potest adjuvare; præsertim si sit distractionibus obnoxius. Secundus est Affectio. Post aliquam veritatem meditatam anima Deo alloquatur, eliciendo bonos affectus, uti sunt actus adorationis, actionis gratiarum, laudis, humilitatis, oblationis, uniformitatis, fiduciæ, petitionis etc. et præ ceteris contritionis, et amoris. Notetur, quod si anima sit ad aliquem bonum affectum concitata, tunc, posthabita consideratione, affectibus dandus est locus. Tertius est Propositum, seu Deliberatio. In consideratione vel in ejus fine expedit aliquid deliberare ac proponere, non solum in genere, ut puta vitare omnem levem culpam, servare in omnibus divina præcepta etc. Sed etiam in speciali, uti esset accuratius vitare aliquem frequentiorem defectum, vigilantius attendere ad aliquam virtutem, aliquam molestiam, afflictionem majori patientia tolerare etc.

35. Ultima meditationis pars est Conclusio; cujus actus sunt 1. agere Deo gratias pro illustrationibus et bonis motibus in meditatione habitis: 2. proponere, et se offerre ad factas deliberationes fideliter servandas: 3. ad hoc divinum auxilium implorare, per intercessionem Mariæ Virginis, Sanctorum etc.

36. Oportet demum fasciculum florum, ut ajunt Doctores, colligere; id est unam vel aliam rem præ ceteris seligere, in qua magis anima sentit moveri, illamque præ oculis reliqua diei parte habere: pios affectus et motus in meditatione habitos conservare, quantum fieri potest: necnon statim executioni mandare deliberationes elicitas.

37. Orationem mentalem per mensem peragentibus, confessis et Communione refectis indulgentia plenaria conceditur, ex bulla *Quemadmodum* 23. Benedicti XIV.

§. *III. De Oratione Petitionis.*

38. Hujusmodi Oratio omnibus adultis ratione utentibus necessaria est necessitate præcepti divini; sicuti constat ex pluribus utriusque testamenti locis (*p*). Immo non immerito plerique sustinent, secundum ordinarium Dei concursum, esse quoque ad salutem necessariam necessitate medii: quod clare desumitur ex variis ejusdem Scripturæ locis (*q*).

39. Tempus, quo urget obligatio orandi, generali regula determinari nequit: certum est tamen, quod non possumus diu ab oratione desistere; sicuti habetur ex citatis Scripturæ locis. Per accidens vero, et saltem ex charitate tenetur quilibet homo orare 1.° in periculo peccandi: 2.° in necessitate recuperandi gratiam: 3.° in gravi necessitate nostri vel proximi, cui succurri non potest, nisi orando; et præsertim in necessitate communi.

40. Nonnulli vero specialiter obligantur orare 1.° ratione status; uti sunt religiosi, sacro ordine insigniti etc. 2.° quando adest speciale votum: 3.° vel speciale pactum: 4.° vel speciale præceptum.

41. Orandus est Deus, utpote cui summus debetur cultus; et ipse fons et origo est omnium gratiarum. Non prohibetur tamen orare Angelos et Sanctos, ut ipsi intercedant pro nobis ad Dominum: dogma est fidei ex innumeris Scripturæ locis constans, perpetua traditione, atque Ecclesiæ usu; et novissime in Trid. definitum (*r*). Præsertim oranda est Sanctissima Virgo; quoniam vera est Dei Genitrix, omnium nostrum Mater universalis et pia, et in ejus manibus sunt cælestes thesauri repositi. Probabilius orari possunt Animæ Purgatorii (*s*), quia sunt sanctæ, et Deo charæ; pos-

(*p*) *Luc. 18. Ephes. 6. 18. Coloss. 4. 2. 1. Tessalon. 5. 17. alibique.*

(*q*) *Luc. 11. Rom. 10. 13. Jac. 4. 2. aliubique.*

(*r*) *Sess. 22. cap. 3. et sess. 25. de invocat. etc. Sanctorum etc.*

(*s*) *Bellarminus, Lessius, Gabriel, Sporer, Layman, Suarez, Fabrus Faventinus, Mastrius, Astresanus, Brancatus; Richardus, Sotus, Valentia, Medina, la Croix, ceterique innumeri.*

sunt cognoscere nostras indigentias vel ex Dei munere et adjutorio, vel ex Angelis bonis, vel ex aliis Animabus, quæ ex hoc mundo illuc perveniunt (*t*). Eruitur ex Scripturis, ubi legitur Animas in Limbo fuisse solitas orare pro vivis etc. (*u*) Immo ipse Dives in inferno oravit pro fratribus suis, licet non fuerit exauditus, quia damnatus (*x*).

42. Orari potest pro omnibus, qui sunt æternæ beatitudinis capaces, et non adhuc sunt in termino (*y*). Hinc pro peccatoribus etiam scelestissimis, hæreticis, schismaticis, Judæis, paganis etc. Numquam vero pro Diabolis, aut damnatis. Maxime pro Animabus Purgatorii, quæ licet sint in termino merendi, non tamen sunt in termino mansionis (*z*). Non desunt docentes, posse orari pro Beatis in cœlo, ut novam recipiant accidentalem gloriam (*a*).

43. Orandum est 1.° Pro Pastoribus Ecclesiæ, et præsertim pro Summo Pontifice (*b*). 2.° Pro regibus, et aliis qui in sublimitate sunt (*c*). 3.° Pro conjunctis, juxta gradum et qualitatem conjunctionis: sic enim postulat pietatis lex. 4.° Pro benefactoribus et amicis, ex gratitudine et charitate. 5.° Denique pro ipsis inimicis, ex Christi præcepto etc. (*d*)

44. Ex promissione Christi (*e*) infallibilis est orationis effectus; modo sequentes habeantur conditiones.

45. I. Ut petantur necessaria, et utilia ad salutem (*f*). Possunt quoque temporalia peti, non per se, sed relate ad vitam æternam (*g*). II. Ut oratio sit pia, cum devotione, fide, et fervore (*h*). III. Ut fiat instanter et perseveranter (*i*). IV. Ut sit humilis (*k*). V. Demum

(*t*) *Cap.* Fatendum est *29. caus. 13. q. 2. D. August. lib. de cura pro mortuis agenda cap. 13.*

(*u*) *Jerem. 15. 1. 2. Machab. 15. 12. et sequent.* (*x*) *Luc. 16. 27.*

(*y*) *1. Timoth. 2. 1. et sequent. aliubique.* (*z*) *2. Machab. 12. 43. et sequent.*

(*a*) *Ex cap.* Cum Marthæ *6. §. 2. de celebrat. Missar. etc.*

(*b*) *Ex Act. 12. 5.* (*c*) *1. Timoth. 2. 2. aliubiq.* (*d*) *Matth. 5. 44.*

(*e*) *Matth. 7. 7. et sequent. et cap. 21. 22. Marc. 11. 24. Luc. 11. 9. Joann. 14. 13. et 14. etc. etc. etc.*

(*f*) *D. August. tract. 102. in Joann. D. Thom. D. Greg. Papa etc. etc.*

(*g*) *Matth. 6. 33. D. Thom. etc.*

(*h*) *Jac. 1. 6. Matth. 17. 19. 1. Cor. 14. 15. alibiq.*

(*i*) *Luc. 11. 5. ad 10. et cap. 18. 1. et sequent. etc. etc.*

(*k*) *Judith. 9. 16. Eccles. 35. 21. Psal. 101. 18. Luc. 18. 10. et sequent. etc. etc.*

ut conjuncta sit cum uniformitate divinæ voluntatis, juxta exemplum Christi (*l*).

46. Aliqui aliam reqirunt conditionem, ut neimpe sit orans in statu gratiæ (*m*). At melius sic potest distingui. Peccator qui se credit contritum, quamvis non sit, exauditur a Deo; quia ignorat se esse Deo inimicum. Eo magis exauditur; si revera sit contritus. Qui de peccato dolet, sed non ita ut ab eo se expediat, puta si sit tantum attritus, iste deprecans ea saltem impetrabit, quæ ad suam æternam salutem pertinent. Idem dici potest de illo, qui enititur e peccato exire. Si tandem nec dolet, nec enitur de peccato exire, difficiliter exauditur; cum sit, et pergat esse Deo inimicus (*n*).

47. Oratio in communi facilius exauditur, ex promissione Servatoris (*o*).

De loco et tempore vide dicta num. 29. et 30.

48. Inter alias excellentissima est oratio dominicalis, seu *Pater noster*; utpote quæ ab ipso Domino instituta et præcepta (*p*). Hanc sequitur Salutatio Angelica. Quare summopere est insinuandum Rosarium Virginis, ut saltem quinque decades quotidie recitentur.

49. Orationes vocales non sint extra modum multiplices et prolixæ; non enim in multiloquio suo exaudienter orantes (*q*), sed in devotione et fervore: prolixæ orationes potius aggravant mentem, et plerumque tepidæ et cum tenui fructu solent evenire.

50. Magni fiant orationes jaculatoriæ, et sæpissime in die adhibeantur. Istæ sunt orationes in paucis verbis consistentes, sed affectuosis et vivacibus: e. c. *Deus meus et omnia: Amor meus crucifixus: Pars cordis mei in æternum: Quando te videbo! Utinam te non offendissem! Fiat voluntas tua: Amo te ex toto corde: Quare non amaris ab omnibus*: et similia. Dicuntur jaculatoriæ, quoniam quasi jacula mittuntur ad cor Dei; vel quia Animam feriunt sancto divino amore.

(*l*) *Matth. 26. 39. etc. etc.* (*m*) *Ex Joann. 9. 31. Thren. 3. 42. et 44.* (*n*) *Ex loc. cit.* (*o*) *Matth. 18. 19. et 20.* (*p*) *Matth. 6. 9. et sequent. Luc. 11. 2. etc.* (*q*) *Matth. 6. 7.*

SECTIO II.

DE MORTIFICATIONE.

51. Director ab initio parcissimus sit in mortificationibus concedendis; ne postea, superveniente ariditatis tempore, Anima omnes suas mortificationes omittat; et incipiens inde diffidere, deserat orationem, ipsam vitam spiritualem, et omnia. Postquam vero aliquo modo in vita spirituali anima solidatur, inspectis circumstantiis sanitatis, occupationum, fervoris etc. concedat illi Confessarius externas mortificationes, juxta prudentiam christianam: injungat tamen pœnitenti, ut nullam exerceat mortificationem sine ejus consensu. Soleat nunquam concedere externas mortificationes, nisi prius requisitus: et etiam requisitus, excedat potius in denegando, quam in concedendo.

52. Curet præsertim suadere mortificationem circa gulam, utpote quæ utilissima est tam animæ, quam corpori. Contra sit parcus in concedendo mortificationem somni, e contraria ratione. Somnus sit non infra quinque, neque ultra sex horas; nisi aliud requirat temperies loci. Meliores mortificationes sunt negativæ, ut puta loqui parce, privare se auditione et visione rerum curiosarum, non queri de incommodis, afflictionibus etc.

53. Mortificatio præcipua exigenda est interior, nempe passionum et voluntatis; uti est non respondere injuriis, cedere in contentionibus etc. et uno verbo, illam suipsius abnegationem exercere, quam quærit Jesus Christus (*r*). Immo expedit omnes externas mortificationes negare, quousque anima liberam se sentiat ab aliqua passione magis dominante. Est etiam maximopere exigenda mortificatio sensuum, id est visus, auditus, locutionis, præcipue in mulieribus etc.

54. Mortificationes externæ, quas juxta prudentiam et vires potest Confessarius concedere, sunt jejunium semel in hebdomada, puta in sabbato, vel in pane et aqua, vel in unico absonio, vel saltem juxta præscriptum Ecclesiæ; item jejunare in vigiliis festi-

(*r*) *Matth. 16. 24.*

vitatum Sanctissimæ Virginis: parum sumere in refectione serotina: abstinere a fructibus, vel ab aliqua portione cibi consueti bis in hebdomada, et in Novenis Nativitatis Domini, Pentecostes, B. Virginis etc. extra mensam nihil comedere, vel bibere, ne aquam quidem: vescere cibos sine sale, et aliquando sine adipe, oleo etc. sumere cibos gustui minus gratos: non accedere ad ignem tempore hyemis: eligere pro se res viliores: silentium servare etc. determinato tempore nullum alium locum, quam unam Ecclesiam tantum adire: et id genus alia. Catenulæ, cilicia, disciplinæ etc. non concedantur, præsertim mulieribus, nisi sint in vita spirituali multum progressæ; solent enim vanitatem et superbiam fovere.

55. Quamcumque mortificationem concesserit, ut omnem auferat occasionem superbiendi, Confessarius prudens præ oculis pœnitenti ponat, illam exercere in satisfactionem suorum peccatorum, defectuum etc. et quamcunque mortificationem esse nihil in comparatione inferni, Purgatorii etc. et in comparatione pœnarum, quas Christus pro nobis tulit.

SECTIO III.

DE FREQUENTIA SACRAMENTORUM.

56. Initio vitæ spiritualis expedit Confessio generalis, si adhuc non sit rite facta: quæ sane omnino est prohibenda, si anima sit scrupulis agitata.

57. Sufficit semel, aut ad summum bis in hebdomada confiteri. Singulis saltem quindecim diebus expedit recipere Absolutionem. Quod si in venialibus sit pœnitens recidivus, vide dicta in IV. tractatu num. 50. in (14).

58. Summa ingenuitate, simplicitate, et fiducia patefiant Confessario omnes defectus, cordis motus, passiones, intentiones etc. ut accurata de omnibus recipiatur directio. Quot animæ sunt in laqueo Diaboli ex eo, quod ob hypocrisim vel vanam existimationem latent suis Confessariis!

59. Curet autem Anima in omnibus sequi Confessarii monita:

cito, fideliter, alacriter, sine ullo judicio, nullamque exquirendo rationem adimpleat quicquid ei imponitur, modo non sit certe peccatum. Obedientia est virtutum regina; sine qua nihil proficitur in vita spirituali.

60. Non prohibeat Confessarius personam devotam, præsertim mulierem, adire alium Confessarium (modo hoc non fiat ex hypocrisi, damnato studio plures habendi Confessarios etc.) sed de hoc libentem se exhibeat: immo aliquando hoc illi imponat; nisi propter scrupolosam conscientiam etc. damnum potius inde timeatur.

61. Sine gravi vera ratione non mutetur Confessarius. Nunquam vero Confessarius præseferat studium volendi aliquam Animam dirigere.

62. Communio frequens non est concedenda illis, qui sæpe labuntur in peccata gravia, et solliciti non sunt de pœnitentia agenda, neque de sua emendatione. Item non est concedenda illis, qui ordinarie committunt peccata venalia deliberata, et nullum in eis effulget desiderium emendationis: convenit concedere istis Communionem non plusquam semel in hebdomada, et aliquando etiam ultra hebdomadam Communionem interdicere, ut ita se emendent. Vide dicta in x. tractatu num. 119. in (49). Expedit tamen aliquoties Communionem concedere iis, qui reperiuntur in periculo labendi in mortalia, ut vires ad resistendum recipiant; juxta dicta in tract. IV. num. 51. in (✳✳).

63. Illis vero, qui deposito etiam affectu ad venalia, et victa majori parte suarum pravarum inclinationum, incumbunt orationi mentali, conantur tendere ad perfectionem, et magnum habent communicandi desiderium, potest concedi frequens Commuuio, quin etiam quotidiana (*s*); sicuti diximus in x. tract. loc. cit. Excipe tamen, si Confessarius prudens Communionem neget ad probandam pœnitentis obedientiam, humilitatem etc. præsertim si pœnitens per hanc prohibitionem turbetur; nam solet talis turbatio esse superbiæ indicium.

64. Neque est neganda Communio illi, qui ob meram fragilitatem aliquando caderet in veniale voluntarium, si cito doleret,

(*s*) *D. Thom. 4. sent. dist. 12. et p. 3. q. 80. a. 10. ad 3.*

et emendationem proponeret, ac Communionem desideraret ad robur recipiendum, ne cadat, et ad progrediendum in vita spirituali; Communio enim est instituta etiam pro imperfectis, ut hujus Sacramenti virtute sanentur (*t*). Immo iste, si non haberet opportunitatem confitendi, omittere non debet Communionem; sed melius est ad illam se disponere aliis actibus, puta contritionis, charitatis etc.

65. Ariditas spiritus, defectus sensibilis devotionis, fervoris etc. non sunt rationes ad aliquem a Communione removendum.

66. At si anima, non obstante Communionis frequentia, nihil proficiat in vita spirituali, neque se emendet a venialibus deliberatis, tunc restringendus est Communionis usus. Quod quidem tenendum est cum illis, qui adhærent voluptatibus sensuum in videndo, audiendo, edendo, cum aliqua vanitate vestiendo etc.

67. Curet Confessarius, ut anima debita præparatione ad Communionem accedat; et post Communionem saltem per dimidiam horam, nisi aliud vera necessitas exigat, maneat cum Jesu Christo hospite, in gratias agendo, petendo, amando etc.

68. Demum insinuet, ut sæpe sæpius spiritualiter se communicet.

SECTIO IV.

DE CONSILIIS EVANGELICIS.

69. Filius Dei in mundum venit non solum legem implere (*u*), sed etiam legis perfectionem ferre (*x*). Quare hominibus et præcepta dedit ad legem implendam, et consilia ad perfectionem obtinendam.

70. Tria sunt præcipua a Christo Domino tradita consilia, Castitas nempe, Paupertas, et Obedientia. Ista sunt media ad facilius perfectionem assequendam. Merito igitur hæc tria solemni voto Ecclesia requirit in statu religioso (*y*), cujus finis perfectio est.

(*t*) *Trid. sess.* 13. *cap.* 2. *D. Ambros. lib.* 4. *de Sacram. cap.* 6. *et lib.* 5. *cap.* 4. *et alii.*
(*u*) *Matth.* 5. 17. (*x*) *Matth.* 5. 40. *Joan.* 10. 10.
(*y*) *Cap.* Cum ad monasterium 6. *De statu monach. etc.*

71. Incumbat ergo Confessarius, prout patitur uniuscujusque conditio, per ista consilia Animas dirigere in viam spiritus atque perfectionis. Quomodo ad hæc ex voto solemni teneantur. Religiosi et Moniales, sat est videre in sequenti XIV. tractatu. Alios vero, qui solemni voto non sunt adstricti, Director per hæc tria consilia ducet facto; et etiam voto, si id dictaverit prudentia, prout infra dicetur.

§. *I. De Castitate.*

72. Quid et quotuplex sit Castitas, jam dictum est in 1. appendice num. 17. et 18. Quomodo peccetur contra istam, habetur in IV. tract. part. II. cap. VIII. et alibi.

73. Insinuet Confessarius hanc virtutem amplectendam, ejus nobilitatem atque sublimitatem docens (z): quæ nempe tanto nuptiis præstat, quanto cælum terræ (a); hominem facit Angelis æqualem (b); et magis etiam, ut ait Chrisostomus (c): atque distinctam in cælo habet gloriam (d).

74. Advertat prudens Confessarius tentationes carnis per se non esse motiva deserendi cælibatum, modo illis resistatur: etiam Sancti, et primi ordinis, istas sunt passi (e), et tamen ad illibatam atque virgineam castitatem erant sublati: quin etiam per tentationis ignem non semel castitatis aurum purgatur. Immo lapsus ipsi per se ne sunt quidem signa, quod sit quis ad matrimonium vocatus, sicuti patet in S. Magdalena, in S. Maria Ægyptiaca, S. Margarita Cortonense etc. et illud Apostoli (f) *Melius est nubere, quam uri* intelligendum est de illis, qui alia nollent adhibere media; vel de illis, qui media adhibentes saltem ordinaria eodem ac prius modo caderent. Hinc si post lapsus videat Confessarius pœnitentem diu se continere, potest illum ad cælibatum ducere: nam *longa castitas post peccatum est imitatrix virginitatis*, ait Cæsarius.

75. Media ad castitatem servandam præcipua sunt Timor Dei;

(z) *Trid. sess. 24. can. 10.* (a) *D. Chrisost. lib. de virginitate.*
(b) *Matth. 22. 30.* (c) *Ibid.* (d) *Apocal. 14. 1. et sequent.*
(e) *Apostolus Paulus, ut in epist. ad Rom. 7. 23. et 24. ac 2. Cor. 12. 7.* (f) *1. Cor. 7. 9.*

Humilitas, quæ dici potest castitatis custos; Oratio, quæ est virginum peculiaris occupatio (*g*); Memoria Passionis Christi (*h*); Votum, saltem ad tempus, et ejus renovatio, ut infra dicetur; Usus frequens Sacramentorum; Specialis amor et cultus Beatissimæ Virginis; Labor et occupatio honesta; Castigatio corporis; Obedientia (*i*); et, quod primum dici debet, est Fuga occasionum: alia vitia resistendo superantur, luxuria vero fugiendo, sicuti uno ore fatentur Doctores. Ad hujusmodi occasiones vitandas sequentia attendantur.

76. I. Obstandum est principiis: attenta in præsenti materia humana fragilitate, quævis favilla capax est magnum in nobis incendium excitare: summa igitur vigilantia est habenda, ad omnes cohibendos primos motus, sollicitationes, tentationes etc. primosque ingressus inimico prohibendos. Quare Director accuratus pœnitenti insinuet, ut statim ac adverterit, tentationem expellat, invocando dulcissima Nomina Jesu et Mariæ, cogitando mortem, infernum etc. protestando se nolle tentationi assentiri, recurrendo ad orationem; et præcipue eliciendo actum amoris erga Deum. Insuper insinuet, ne pœnitens statim post tentationem se examinet, utrum restiterit, se delectaverit etc. hæc est enim insidia versuti inimici, qui non potens Animam aperta fronte superare, prætesto scrupuli, timoris habitæ delectationis etc. satagit eam in laqueum pertrahere. Quoties evenit, quod Anima sub tentationis impulsu strenue resistit, et postea in ejus examine miserrime cadit in aliquam delectationem etc. Quare non immerito Animæ timoratæ et scrupulosæ Confessarius imponat nunquam se de prædictis tentationibus examinare, nisi certo sciat cecidisse in eis. Eadem omnia tenenda sunt de motione, pollutione, phantasmate etc. in somno habitis: sufficit, at post tempus, se examinare, utrum ad ea data sit aliqua occasio. Cautus sit quoque Confessarius in excipienda confessione de præsenti materia: sufficit ea tantum patefacere, et interrogare, quæ sunt mere necessaria: quot enim puellæ et simplices ob importunas Confessariorum interrogationes didicerunt in malitia et ruina quæ

(*g*) *1. Cor. 7. 34.* (*h*) *D. August. Manual. cap. 32.*
(*i*) *S. August. in Psal. 103. S. Bern. etc.*

prius ignorabant. Ad hoc relege exposita in tract. XI. num. 147. (✻) 6.

77. II. Vitandus est sexus diversus. Absque vera necessitate non permittatur (præsertim juvenibus) cum eo conversatio, familiaritas, inutilis locutio, nec ipsa præsentia, si fieri posset. Omnino prohibeatur ab eo tangi, super ipsas vestes, nisi urgentissima adsit causa. De magistris, sartoribus etc. jam est dictum in IV. tract. num. 55. (✻) 6. 7. et 8. quod sane rigidiori modo est tenendum pro illis, qui volunt in puritate manere.

78. III. Accurata adhibeatur sensuum custodia, præcipue oculorum, qui sunt portæ, per quas dæmonium impuritatis solet in cor introire. Prohibeantur aspectus in sexum diversum, et etiam in eundem, siquid habeatur puritati infensum; sicuti quoque in partes proprii corporis sine necessitate. Anima sponsa Christi debet esse hortus conclusus, fonsque signatus (*k*).

79. IV. Servetur solitudo, præsertim in puellis: vita solitaria virginitatem custodit, et Animæ in solitudine promisit Deus favores suos (*l*): et Ecclesia ad hoc moniales omnes indispensabili clausuræ legi adstrinxit (*m*). Quare Director mulieribus, præsertim puellis prohibeat se sistere ad fenestras, ut prospiciant et prospiciantur, absque necessitate; habere socias, quæ non sunt timoratæ, aut impedimento esse possunt ad profectionem spiritus; vagare ad visendas Ecclesias etc. neque in eis manere ultra necessarium tempus; sed illis unam vel aliam viciniorem et commodiorem præscribat Ecclesiam, et tempus morandi in ea: prohibeat illis multum loqui, quoniam in multiloquio non deest peccatum (*n*): auferat omnes visitationes inutiles; et illas tantum permittat, quas vel necessitas, vel charitas, vel indispensabilis convenientia exigit.

80. V. Adhibeatur summa modestia in omnibus; præcipue in se induendo, exuendo, in lecto etc. mos geratur non se induendi, aut exuendi coram aliis, præsertim diversi sexus, quando aliqua corporis pars sit denudanda; nec per domum ambulandi solo indusio; neque sine indusio in lecto cubare, dormire etc. et bonum

---

(*k*) *Cant. 4. 12.* (*l*) *Oseæ 2. 14.*

(*m*) *Cap.* Pericoloso *un. de statu regul. in 6. a Trid. confirm. sess. 25. de Regul. et Monial. cap. 5.*

(*n*) *Prov. 10. 19.*

erit, si mulieres, puellæ præsertim, nunquam maneant sine caligis: sudarium sit collo extensum, nec arcte compositum, ne ullo modo modestia lædatur; neque superfluum erit, si collo habeatur etiam in lecto, dormiendo etc. Vestes sint modesti coloris et formæ; nihil in eis permittatur vanum, aut superfluum: vestes splendidæ in mulieribus vanitatem fovent, et sunt causa cur aspiciantur, et tententur a viris.

81. Non permittat Director emittere votum castitatis, nisi quis sit tempore et experientia satis firmus in virtute: ab initio servetur castitas facto et moribus: dein si quis in vita spirituali progrediatur, illi potest permitti votum, sed ad tempus, puta ad sex menses, vel ad annum, illud renovando ex intervallo: si vero magis in devotione et puritate proficiatur, in matura ætate permittatur votum perpetuum. Magis sit cautus Director in permittendo hujusmodi votum mulieribus, et præcipue puellis, utpote quæ, attenta sua levitate, veluti laminæ versatiles, omni parvo vento de sententia decedunt. Miseræ tamen illæ, quæ olim Deo devotæ ad sæcularia vota transeunt! experientia constat, Deo, quem deserunt, vindice, in hac etiam vita, suæ desertionis pœnas luere. Potest conjugatis quoque castitatis votum permittere; modo diuturna habeatur continentiæ experientia, et omne desit incontinentiæ periculum, juxta dicta in XIII. tract. num. 115. 116. 117. 118. et 326. Quid aut possit qui cum voto castitatis in matrimonio reperitur, relege si vis in eod. tract. num. 99. cum (*35*), et 122. necnon 306. ac (*83* ✱✱) 4.

§. *II. De Paupertate.*

82. Sicuti olim vaticinatus fuit Propheta (*o*), Filius Dei cum esset dives in omnibus (*p*), in mundum veniens, ut quam magnum esset bonum paupertatis virtus, prius ostenderet exemplo, quam verbo, factus est omnium pauperrimus, ut de se dicere potuerit (*q*) *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* Quare merito in suis discipulis paupertatem requirit (*r*); et apertis verbis postulat in eo,

(*o*) *Zach. 9. 9.* (*p*) *2. Cor. 8. 9.* (*q*) *Matth. 8. 20.* (*r*) *Innum. Evang. locis.*

qui in perfectione vult eum sequi (*s*): atque magnum promittit fore paupertatis præmium (*t*). Ex dictis clare patet, nonnisi per paupertatem posse in vita spirituali profici.

83. Paupertas autem est virtus, qua appetitum moderamur possidendi res naturales, et solis necessariis secundum status rationem contenti sumus. Vel melius pro præsenti materia definitur: Omnium rerum temporalium, ob amorem Dei, et desiderium perfectionis, voluntaria abdicatio.

84. Tres esse possunt ejus species. Prima est eorum, qui incidentem paupertatem propter Deum æquo animo suscipiunt. Secunda est eorum, qui bona temporalia ita possident, ut tamen parati sint ea abjicere vel dimittere, quandocumque id exegerit pietatis ratio. Tertia eorum est; qui sponte propter Christum omnia sua reliquerunt.

85. Confessarius Animam in via spirituali dirigens ab ea exigat primam et secundam de prædictis speciebus. Satagat, ut Anima ista se alienet non solum a rebus, et voluptatibus, sed etiam, quoad fieri potest, ab ipsis propinquis, amicis etc. et præcipue a propria existimatione. Insinuet etiam ei tertiam speciem, ut nempe omnia relinquat, et in statu religioso Deo mancipetur, si ad istum eam viderit vocatam.

86. Ad quid teneantur, qui se solemni paupertatis voto obstrinxerit, vide in sequenti XIV. tract. Alios autem, qui ejusmodi voto minime sunt ligati, Confessarius sua prudentia poterit sequenti regula in paupertate exercere, scilicet ut nihil accipiant, aut disponant, Confessario inconsulto. Ad hoc Confessarius pœnitenti determinet quantitatem pecuniæ pro victu aliisque necessariis ordinariis et quotidianis impendendam: si quid aliud sit necesse, petatur licentia. Vestes, et supellectiles sint moderatæ juxta paupertatem et uniuscujusque conditionem: nihil habeant vani aut supervacanei, juxta dicta num. 80. et siquæ novæ sint necessariæ, petatur licentia. Constituat etiam Confessarius quid sit pro eleemosynis erogandum. Potest etiam prudenter insinuare, ut pœnitens se privet aliquando aliqua re necessaria: sicuti etiam, si non sit familiæ ad-

(*s*) *Matth. 19. 21. Luc. 14.* 33. (*t*) *Matth. 5. 3. et 19. 29.*

ministrator, ut nihil quærat de victu, vestibus etc. contentus de his, quæ ei dantur, exhibentur etc.

87. Potest secundum leges prudentiæ (prout dictum est de castitate) permitti votum, temporale vel perpetuum, quo anima se obligat ad omnia, vel ad aliqua de prædictis.

88. Maximopere autem caveat Confessarius, ne, dum paupertatem insinuet, dives ipse fiat de pœnitentis parsimonia.

§. III. De Obedientia.

89. Maximum inter evangelica consilia dici debet Obedientia: si enim per paupertatem res exteriores Deo offeruntur, per castitatem corpus; per obedientiam ipsa voluntas, quæ omnibus est potior, dedicatur. Recte igitur D. Bonaventura illam vocat (*u*) spontaneum et rationabile voluntatis propriæ sacrificium.

90. Est autem Obedientia virtus, quæ promptam reddit hominis voluntatem ad implendam voluntatem præcipientis (*x*).

91. Ineffabilis est ejus præstantia. Ipsa est, quæ hominem efficit Deo charissimum, Christo simillimum, Superioribus aliisque acceptum et amabilem: ipsa est aptissimum instrumentum ad victoriam de vitiis et cupiditatibus obtinendam, efficacissimum medium ad virtutes adquirendas, et supernaturalia: ipsa est fons et origo spiritualis solidæ lætitiæ, serenæque cordis pacis, et vera honoris atque exaltationis causa: ipsa denique est prædestinationis pergrande signum (*y*).

92. Quoad præcepta omnibus est ad æternam vitam necessaria obedientia (*z*): quoad reliqua necessaria est iis, qui volunt in perfectione progredi; sicuti constat ex innumeris Scripturæ locis, et unanimiter docent DD. Obedientia est regina omnium virtutum; omnes enim virtutes obediunt obedientiæ. Quare Ecclesia obedientiæ votum requirit in eis, nempe in Religiosis, qui se obligarunt ad perfectionem tendere.

93. Obedientiæ gradus sunt 1.° mandata legis naturalis, divi-

---

(*u*) *In centil. p. 3. sect. 44.* (*x*) *S. Thom. 2. 2. q. 104. a. 2. ad 3.*
(*y*) *Ex innum. Scripturæ et Patrum locis.* (*z*) *Matth. 19. 17.*

næ, et humanæ accurate observare; 2.° consilia evangelica prompte exequi: 3.° in omnibus, ipsis adversis etc. Dei voluntati omnimode se conformare: 4.° parentibus, aliisque parentum loco manentibus, in omnibus obedire, modo non præcipiant aliquid contra propriam sanctificationem: 5.° Confessarii aliusve Superioris præcepta, regulas etc. servare: 6.° omnia dirigere ex consilio, et licentia Confessarii etc. 7.° omnibus satisfacere, quoad fieri potest.

94. Ut autem obedientia sit perfecta atque meritoria, debet esse 1.° prompta, et sine mora: 2.° cæca, ut nempe non examinentur rationes, motiva etc. 3.° hilaris, sine querela et murmuratione: 4.° humilis: 5.° demum fortis et generosa ad superandam omnem difficultatem (*a*).

95. Ad quid teneantur qui solemni obedientiæ voto se obligarunt, exponetur in sequenti XIV. tract. Alios vero, qui exercentur in vita spirituali, Confessarius ad perfectam obedientiam pertrahat, juxta gradus præstitutos num. 93.

96. Potest etiam eis permittere, juxta dicta num. 81. votum temporale vel perpetuum, quo se adstringant ad aliqua (plus vel minus prout est animæ status) de prædictis. Præcipue versetur votum circa regulas vitæ, nempe circa meditationem, Communionem, Sacrum audiendum etc. etc. ut ista nempe ex voto impleantur: prudenter tamen duæ vel tres vices in mense excipiantur, in quibus pœnitens ad ista non teneatur ex voto; ut ita non peccet, si ex aliqua circumstantia incidente, vel etiam ex voluntate ea non servet. Sit etiam fortis Confessarius in exigenda obedientia circa ea, quæ ipse præcepit: sit tamen in præcipiendo rationabilis et prudens.

(*a*) *Psal. 118. 32. Eccles. 35. 11. 2. Cor. 9. 7. Philipp. 2. 14. Luc. 17. 10. Psal. 30. 25. 1. Cor. 16. 13. DD. Bern. serm. de virt. obed. et alibi, Gregor. in prim. Reg. lib. 2. cap. 4. Basilius in sua Regula cap. 5. etc. etc.*

SECTIO V.

DE VITÆ ORDINATO SYSTEMATE.

97. DEus est ipsemet æternus substantialis ordo: et omnia disposuit in mensura, et numero, et pondere (*b*): ordinatione sua perseverat dies, et omnia fideliter serviunt illi (*c*). Quare nonnisi ordinata ei placent: et vitæ regula multum est adjumenti ad perfectionem. Satagat igitur Confessarius, ut qui ad perfectionem vult tendere, juxta certas regulas suam vitam moderetur, prout patitur uniuscujusque conditio. Sic etiam curet, ut quisque fidelis aliquo modo ordinatam ducat vitam suam. Regulæ possunt esse sequentes.

98. Ubi quis excitatur e somno, muniat se signo Sanctæ Crucis, mentem ad Deum tollat, et aliquo actu eum colat, puta adorationis, gratiarum actionis etc. ac præcipue actu amoris: cogitet illum diem ei concedi ad pœnitentiam peragendam suorum peccatorum, atque æternam merendam gloriam; et forte diem fore supremum suum.

99. Curet quotidie surgere hora statuta; nunquam otio manere in lecto; et ab eo exire, ceu Christus exiit e sepulcro, causa vivendi Deo, et propter Deum.

100. Vestes induat in spiritu doloris atque confusionis, cogitans eas esse signum peccati; quoniam post peccatum fuerunt protoparentibus datæ ad verecundiam contegendam. Quales esse debeant vestes, et quanam modestia induendæ, jam diximus num. 80.

101. Statim ac se vestiverit, flexis genibus Deum adoret, ei gratias agat pro gratia, vita, aliisque acceptis beneficiis: omnes ei offerat diei actiones, et ab eo auxilium petat illas exequendi juxta ejus spiritum, voluntatem, atque legem, in Jesu Christo, et per Jesum Christum, ad gloriam divinæ Majestatis, ad peccatorum satisfactionem, ad Animarum Purgatorii suffragium. Deum enixe roget, ut eum in die a peccatis præservet, et a tentationibus liberet.

(*b*) *Sap.* 11. 21. (*c*) *Psal.* 118. 91.

Petat intercessionem Beatæ Virginis, Angeli Custodis, Sancti cujus nomen habet, aliorumque Sanctorum. Recitet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, et aliquam orationem pro Animabus Purgatorii. Meditationem faciat juxta dicta num. 27. et sequent.

102. Quotidie audiat Missam, et in diebus festis saltem duas, ea, qua par est, attentione ac devotione. Se communicet juxta præscriptum Patris Spiritualis, prout est expositum in num. 62. et seq.

103. Incumbat labori familiæque curæ, non ex cupiditate aut avaritia; sed ad vitanda mala ex otio provenientia, animo satisfaciendi pro suis peccatis, cum sit labor pœnitentia homini peccatori a Deo imposita (*d*): illum Deo offerat, et sæpius in eo mentem et cor ad Deum elevet.

104. Prandeat semper quadam hora statuta, quoad fieri potest. Ante et post prandium genuflexus versus viciniorem Ecclesiam, ubi Eucharistia asservatur, paucis momentis illam adoret, aut Jesum Christum ante ejus imaginem. In mensa petat benedictionem a Deo super se et super cibum: in manducando illum cogitet cibum et potum, quo nutriuntur Angeli in cælo (*e*): manducet ob necessitatem, non ob voluptatem: excessum atque intemperantiam vitet: se privet aliqua buccea, quæ magis placet, ad honorandum jejunium et abstinentiam Jesu Christi. Aliquid reservet pro paupere, prout sinit status (*f*). Post prandium gratias Deo agat. Hæc omnia servet etiam in cœna.

105. Peragat lectionem spiritualem saltem per horæ quadrantem, quæ sane fieri potest tempore vespertino, legendo aliquem librum tractantem de virtutibus etc. utilius fortasse erit legere vitas Sanctorum: curet sibi applicare quod legit. Qui vero legere nescit, lectionem audiat ab alio, vel ipse oculis et mente legat in vulnera Jesu Crucifixi, ejus imaginem inspiciendo.

106. Saltem per quadrantem visitet Sanctissimum Sacramentum in Ecclesia, si potest; alias e domo se genuflectens erga Ecclesiam, ubi asservatur: sic etiam visitet Mariam Sanctissimam.

(*d*) *Gen. 3. 17. et 19.* (*e*) *Tob. 12. 19.* (*f*) *Luc. 11. 41.*

107. Recitet Rosarium Beatissimæ Virginis, saltem quinque decades, cum Litaniis ejusdem Virginis, et aliis orationibus vocalibus: istæ tamen sint moderatæ.

108. Sæpissime in die utatur orationibus jaculatoriis; et ter saltem communicet spiritualiter, juxta dicta num. 68. quæ Communio spiritualis fieri potest ante prandium et cœnam, quum adoratur Sacramentum, prout est dictum in num. 104. et quum visitatur idem Sanctissimum Sacramentum; et omnino in Missa, quando non communicat sacramentaliter. Sic etiam pluries renovet vota, quibus forte se obligavit.

109. Assignet saltem horam in die pro silentio servando, quod intelligendum est de non proferendis verbis non necessariis: hujusmodi hora poterit esse in tempore vespertino post lectionem spiritualem.

110. Priusquam lectum petat, flexis genibus Dominum adoret: ei gratias agat pro gratiis in die acceptis: complementum petat gratiarum, idest animæ salvationem, et gratias ad illam. Examinet se de die transacta: eliciat contritionis et emendationis actum: potest recitare Confiteor. Proponat materiam meditationis pro die sequenti. Imploret auxilium Beatissimæ Virginis, Angeli Custodis etc. ut in num. 101.

111. Cum modestia se exuat: in lecto se ponat, veluti Corpus Christi positum fuit in sepulcro: cogitet quod de lecto forsitan non surget die sequenti. Somnum Deo offerat, et conjungat cum somno Christi in Cruce. In manus Domini commendet spiritum suum; atque in pace in eo ipso dormiat et requiescat.

112. Si in nocte excitatur a somno, mentem et cor ad Deum tollat: se muniat signo Crucis, et recitet aliquam brevem orationem, puta Salutationem Angelicam, et *Requiem æternam*. De phantasmatibus in somno habitis dictum est num. 76. Quantum temporis dandum sit somno, vide num. 52.

113. Audiat verbum Dei, saltem in diebus festis, debita attentione, et avido desiderio cognoscendi legem divinam, media salutis etc. juxta quod verbum Dei studeat suam vitam moderare.

114. Majori fervore ac studio transigat novenas Spiritus Sancti, Nativitatis Domini, Mariæ Sanctissimæ, et Sanctorum Tu-

telarium: ac speciales orationes (quæ vulgo dicuntur *coroncine*) dictis diebus recitet etc.

115. Statuat aliquem diem, saltem unum in mense, pro renovatione spiritus: in qua die magis a negotiis mundanis segregatus, seipsum consideret, ad videndum suas obligationes, quid ei desit, quomodo se gerat in via Domini etc. et se præparet ad mortem. Item singulis in annis agat Exercitia spiritualia.

116. Concedat aliquod tempus ad spiritus corporisque levamen. Sit tamen recreatio Deo præsente. Lætetur in Domino (*g*); sed cum modestia, humilitate, charitate, atque dulcedine.

De Confessione, Communione, mortificatione, visitationibus, etc. etc. jam est dictum in præcedentibus sectionibus.

117. Demum ut securius et facilius in vita spirituali progrediatur, studeat sequi infrascripta monita.

Alere ardentissimum desiderium amandi Deum, illi placendi in omnibus, illumque in Paradiso possidendi. Serio determinare, se vincere, et in occasionibus sibi vim inferre.

Omnino tamen diffidere de se, et de suis bonis propositis: omnemque suam fiduciam in Deo ponere.

Cavere a quocunque etsi minimo defectu plene deliberato. Non tristari tamen, si defectus admittantur: sed cito se humiliare, et ad Deum confugere brevi actu contritionis ac propositi, et ita se in pace remittere.

Expellere a corde omne quod non est secundum Dei beneplacitum; et ab omnibus se alienare.

Vitam ducere absconditam cum Christo in Deo (*h*): opera virtutum occultare, præter ea quæ sunt communia et necessaria ad vitam Christianam.

Lætari in corde cum se videt contemni, irrideri etc. atque specialem affectionem fovere erga inimicos et persecutores.

In omnibus divinæ voluntati uniformari, seque Deo pluries in die offerre.

Præstare exactam obedientiam Superioribus, et Patri spirituali, juxta dicta num. 93. et 96.

(*g*) *Philipp.* 4. 4. (*h*) *Coloss.* 3. 3.

Deum semper præsentem habere: et dirigere intentionem illi placendi in omnibus.

Fovere devotionem erga Sanctum Michaëlem, Angelum Custodem, S. Josephum, Sanctum suum tutelarem etc. specialissimam et tenerrimam erga Mariam Sanctissimam, sine qua nihil aut parum proficitur in vita spirituali.

In tentationibus respicere J. C. Crucifixum, in ejus vulnera intrare: resolvere mori potius quam assentiri; et cum cordis clamore valido petere auxilium Dei, Beatissimæ Virginis etc. Oportet tamen omni vigilantia occasiones vitare, secundum quod est dictum num. 75. et sequent.

In cordis lætitia servire Domino (*i*): hilarem enim datorem diligit Deus (*k*).

119. Pax et misericordia super omnes, qui præpositas regulas fideliter servant: dies pleni et felices invenientur in eis. Profectio in vita spirituali ex earum observantia efficiet, ut absque pavore expectetur dies extremus, et cum magna fiducia vita immortalis in cælo.

(*i*) *Psal.* 99. 2. (*k*) 2. *Cor.* 9. 7.

*APPENDIX VIII.

ENUCLEATUR CASUS V. IN TABELLA CUM EXCOMMUNICATIONE CONTRA LOQUENTES CUM MONIALIBUS etc.

1. *Quinam incidunt in hunc casum?*

Omnes qui sine licentia loquuntur cum Monialibus, vel cum aliis quacumque ex causa in Monasteriis etiam exemtis commorantibus, exceptis dumtaxat conjunctis in primo vel secundo gradu consanguinitatis. Insuper omnes præsertim, qui cum aliqua ex prædictis, vel coram ipsis, tam in Monasteriis, quam in Conservatoriis, seu Collegiis commorantibus, de rebus obscenis egerint, vel præsentes per verba aut actus impudicos, vel absentes per literas aut internuncios. Denique omnes viri, aut mulieres, sive intra, sive extra Monasterii, vel Conservatorii, vel Collegii claustra, aut septa, qui prædictas literas aut mandata detulerint.

2. *Inciditne in casum, qui loquitur cum moniale nihil respondente?*

Maxime; nam in casu habetur *loquentes*, non *colloquentes*.

3. *Inciditne, qui cum moniale loquitur de re honesta aut indifferente, sed per signa vel literas?*

Minime, quidquid aliqui in contrarium sentiant; tum quia in odiosis stricte facienda est interpretatio; tum quia exprimeretur in casu, uti exprimitur de rebus obscenis.

4. *Incurruntne casum mulieres loquentes, vel talia agentes?*

Mulieres deferentes literas vel mandata de obscenis incurrunt, uti exprimitur in casu: mulieres autem loquentes, vel tractantes etc. videntur casum non incurrere; quia esset expressum in casu, sicuti habetur de mulieribus deferentibus mandata vel literas de obscenis.

5. *Inciditne in casum, qui per metum gravem loquitur, vel tractat etc?*

Si sermo est de obscenis, et incidit, omissa aliquorum senten-

tia; nam per metum gravem non excusatur ab eo, quod est intrinsece malum: si autem loquitur de re honesta vel indifferente, et non incidit; quisque enim per metum gravem excusatur ab eo, quod est malum, quia prohibitum.

6. Incurritne casum, qui loquitur de re indifferenti per modicum tempus?

Minime; nam sicut in ceteris præceptis; ita et in hoc datur parvitas materiæ.

7. Quantum temporis spatium constituit materiam gravem?

De Religiosis declaravit S. Congregatio an. 1669. approbante Clemente IX. quadrantem horæ esse materiam gravem. De aliis multi multa dicunt.

8. Inciditne in casum, qui sine licentia cum moniale loquitur de re spirituali?

Videtur incurrere, quia indefinite locutio prohibetur. Adest tamen opinio contraria.

9. Num qui audit monialem loquentem, incurrit casum?

Minime; casus enim agit de locutione, non de auditione.

10. An casum incurrat loquens cum Abbatissa, vel Priorissa?

Probabilius incidit; casus enim de omnibus loquitur in monasterio degentibus.

11. Inciditne in casum, qui loquitur cum moniale in conservatorio commorante?

Si monialis jussu Archiepiscopi in conservatorio commoratur, secundum aliquos incidit; tunc enim conservatorium pro clausura est moniali assignatum: secundum alios non incidit; 1. quia casus loquitur de degentibus in monasterio: 2. in casu conservatorium est clausura pro sola moniale, non vero pro aliis: 3. pœnæ sunt restringendæ. Aliter non incidit; sicuti non incidit, qui cum moniale extra monasterium immorante loquitur: quia prohibitio est de moniale vel de alia in monasterio degente.

12. Qui licentiam habet loquendi cum una, potest ne data opera et ex professo cum aliis loqui?

Minime, uti denotat casus.

13. Consanguineus, aut quicumque licentiam habet loquendi cum moniale, inciditne in casum, si loquitur de obscenis?

Maxime; quia non potest ad hæc licentia extendi.

14. Si quis in monasterio degens cum alia de obscenis loquitur ibi commorante, inciditne in casum?

Omissa contraria sententia, dico non incidere: si enim incurreret, esset espressum in casu, sicuti exprimitur de deferentibus literas et mandata.

15. Vagi, peregrini, Regulares an sint comprehensi in casu?

Quoad istos varia dicunt Doctores. At rationabilius est dicendum, omnes istos comprehendi in casu; quia in hoc casu Ordinarius procedit uti delegatus a S. Sede, ex Trid. sess. 25. de Regul. et Monial. et præsertim ex cap. 5. Imo Regulares incidunt ipso facto in privationem officiorum, et vocis activæ ac passivæ, ex decreto S. Congreg. jussu Xysti V. edito anno 1690.

16. Regulares sine Ordinarii licentia possuntne loqui cum monialibus suis consanguineis in primo vel secundo gradu?

Non possunt; et licentia eis ab Ordinario concedi potest tantum per quatuor vices in anno, uti habetur ex decr. S. Congr. edito jussu Urbani VIII. anno 1623.

17. An Episcopi alienæ diœcesis in casu comprehendantur?

Quæstio est: aliqui negant; quia par in parem nullam habet potestatem: alii affirmant; quia in hoc casu Ordinarius procedit ceu delegatus Sedis Apostolicæ (1).

18. Expositus casus estne specialis reservationis?

Quoad locutionem de obscenis cum monialibus aliisve in monasteriis degentibus, et actus impudicos coram dictis est specialis reservationis, uti est declaratum in tabella: quoad reliqua est reservationis generalis. *

---

(1) At nunc temporis ex bulla *Gravissimo* Ben. XIV. 31. Octob. 1749. probabilius est Episcopos, et exteros peccare quidem, sed non incurrere excommunicationem.

TRACTATUS XIV.

DE MONIALIBUS

PER R. D. JOSUE DE COSTANZO

HUJUS DIOECESIS EXAMINATOREM PRO-SYNODALEM

ELUCUBRATUS.

1. *Quomodo definitur Status Religiosus Monialium?*

Cum status religiosus unus idemque sit, tum in viris religiosis, cum in mulieribus (1), ideo recte definitur: Status hominum ad perfectionem comparandam perpetuo tendentium per tria vota castitatis, paupertatis, et obedientiæ, facta traditione sui religioso ordini approbato ab Ecclesia sub regula determinata.

2. *Num sufficiat ad essentiam status religiosi nudum propositum observandi tria consilia evangelica?*

Minime; sed requiritur obligatio personalis per vota Deo edita, nec ad tempus determinatum, sed in perpetuum; secus non adesset immobilitas, quæ necessario hoc in statu requiritur.

3. *An Ecclesiæ approbatio sit de essentia ad statum religiosum monialium?*

Maxime, saltem ad statum religionis perfectum: nam licet religio consistat in tribus votis, sine tamen Ecclesiæ approbatione non habet tantam stabilitatem, nec est status spiritualis supra communem statum Christianorum, in quo modo religio accipitur; atque ita Ecclesiæ approbatio dici potest aliquo pacto pertinere ad essentiam religionis, si non ex natura suæ institutionis, saltem ex Ecclesiæ dispositione.

(1) Quare quidquid in hoc tractatu de Monialibus dicitur, idem est tenendum de viris Religiosis, ubi eadem habetur ratio.

4. *A quo fieri debet hujusmodi approbatio?*

A Summo Pontifice, uti statuit Innocentius III. in cap. *Ne nimia* ult. de religiosis domibus: quod renovavit Greg. X. cap. *Religionum* un. de relig. dom. in 6. licet ante Innocentium sufficeret tantum Episcoporum approbatio.

5. *An ad constituendum statum religiosum necessario requirantur vota solemnia, vel sufficiant tantum simplicia?*

Omissa contraria sententia, dico sufficere tantum simplicia, modo sint Ecclesiæ auctoritate confirmata. Quod videtur aperte colligi ex Bulla Greg. XIII. *Ascendente Domino*; ubi Pontifex definivit, quod in Societate Jesu evadunt veri religiosi, qui post biennium probationis emittunt vota simplicia.

6. *In quo consistit votorum solemnitas?*

Consistit in eo, quod obligatio trium votorum sit conjuncta religioni approbatæ irrevocabiliter; et ratione conjunctionis cum religione approbata vota illa habeant aliquos effectus, quos per se non haberent.

7. *Quinam sunt isti effectus?*

Sunt, ut votum solemne castitatis reddat inhabilem ad matrimonium, et matrimonium ratum antecedens solvat: ut votum paupertatis privet omni dominio, et reddat voventem illius dominii incapacem: ut singula ex tribus votis induant firmiorem, et minus solubilem obligationem, ita ut talis obligatio non solum ex parte tradentis, sed etiam ex parte acceptantis relaxari non possit auctoritate Prælatorum religionis: quæ omnia per se non habent vota simplicia.

8. *Potestne Summus Pontifex in votis solemnibus dispensare?*

Omissa contraria sententia, potest; sed stante gravissima causa, et quidem boni communis, non vero alicujus particularis.

9. *Potest Summus Pontifex dispensare monialem professam a voto paupertatis, vel castitatis, vel obedientiæ, manente religiosa?*

Minime; quia hæc vota ad essentiam religionis spectant, sicut habetur expresse in cap. *Cum ad monasterium* 6. de statu monach.

10. *Num votum solemne magis obliget, quam simplex?*

Maxime juxta D. Thomam, sed tantum per accidens ex Ecclesiæ institutione; votum enim solemne specie idem est ac votum simplex.

DE PROFESSIONE.

11. QUid est Professio religiosa?*

Est contractus quidem moralis, quo homo seipsum voluntarie Deo tradit in determinata religione approbata, emittendo solemniter tria vota, cum consensu Prælati nomine Dei eadem acceptantis.

12. Quotuplex est professio?

Duplex: alia expressa, quæ communiter, et verbaliter fit in manu Superioris: alia tacita: quæ signis, vel actionibus a jure statutis inducitur.

13. Quodnam signum in jure sit statutum ad inducendam tacitam professionem?

Duplex: primum, si monialis se ingerat exercitiis professarum per triduum: secundum, si habitum specialissimum professarum per triduum gestet. Quod si hæc duo simul conjunxerit, tunc statim ante triduum incurrit professionem tacitam; uti habetur cap. *Vidua* 4. de regularibus. Quæ quidem signa jure antiquo inducebant professionem tacitam etiam intra annum novitiatus: jure vero novo Tridentini professionem inducunt, modo monialis decimum sextum suæ ætatis annum expleverit, atque integrum annum novitiatus percurrerit.

14. Quæ conditiones requiruntur, ut hæc signa a jure statuta professionem tacitam inducant?

Plures: 1. ut actus, quo illa inducitur, fiat de consensu Superioris, qui potest monialem ad professionem admittere. 2. Ut actus fiat sponte, non coacte. 3. Ut monialis sciat per tales actus tacitam induci professionem. 4. Denique ut exerceat tales actus animo profitendi.

15. Quænam requiruntur ad validitatem professionis?

Plura 1. Ætas. 2. Annus probationis. 3. Animus profitendi. 4. Ut professio non fiat metu gravi. 5. Ut fiat consensu Prælati monialium, cujus est ad professionem admittere, et consensu majoris partis Capituli (nisi aliud consuetudo, vel privilegium concedat). 6. Ut fiat in religione approbata. 7. Ut monialis non habeat

aliquod impedimentum, quod habetur essentiale in ea religione. 8. Ut persona non sit alteri obstricta. 9. Ut non sit demens, vel impotens caussa morbi aut senectutis ad servanda regulæ præcepta. 10. Ut tandem tria vota substantialia saltem implicite emittantur.

16. An professio nulla obliget saltem uti votum simplex ?

Dist. vel fuit nulla defectu ætatis, aut anni probationis, et tunc nec etiam uti votum simplex obligat, uti patet ex cit. cap. Trid. sess. 25. Quod idem dicendum, si nulla fuerit defectu usus rationis, aut consensus liberi, et spontanei. Vel fuit nulla ex aliis capitibus, et est quæstio: at videtur sententia probabilior, obligare tanquam votum simplex; quia præsumitur profitentem voluisse obligare se quantum potuit, nisi constet de contrario animo.

17. Quanti temporis spatium conceditur reclamanti de sua invalida professione, ut possit exaudiri ?

Quinquennium; uti patet ex Trid. sess. 25. de Regularibus cap. 19.

18. An exploranda sit monialis voluntas ante professionis emissionem ?

Maxime; uti patet ex cit. cap. Trid. quæ quidem exploratio debet fieri ab Ordinario, vel ejus Vicario, sicut statuit idem Conc. quapropter Superiorissa per mensem ante diem professionis, sub pœna suspensionis ad arbitrium Episcopi, tenetur facere ipsum Episcopum certiorem de tempore professionis Novitiæ.

19. An incidant in aliquam pœnam, qui injuste cogunt monialem novitiam ad emittendam professionem ?

Maxime incurrunt ipso facto excommunicationem nemini reservatam: ex Trid. sess. 25. de Regul. et Monial. cap. 18. Quod idem dicendum de illis, qui monialem impediunt, ne professionem emittat.

20. Num post expletum annum probationis possit professionis tempus protrahi ?

Minime, nisi ex justa causa, juxta decr. Trid.

21. An monasterium, remota omni simoniæ labecula, possit aliquid temporalis exigere a moniali professura religionem titulo sustentationis ?

Tempore novitiatus licitum est exigere pecuniam pro victu, et vestibus novitiæ, uti aperte colligitur ex Trid. sess. cit. cap. 16.

Aliis vero temporibus invaluit usus licere monasteriis monialium accipere dotem a parentibus earumdem. Quod confirmatur ex variis decretis Sacræ Cong. relatis a Bened. XIV. de Synodo diœcesana.

22. *Quo tempore solvenda est dos pro moniali religionem professura?*

In eadem professione: non vero ante; nam hoc implicite prohibetur a Trid. loc. cit.

23. *Quibus bonis solvenda est dos pro moniali professura?*

Ex declaratione Sacræ Congr. solvenda est in pecunia numerata, non vero bonis stabilibus. At juxta consuetudinem etiam bonis stabilibus fieri potest.

24. *In quos usus monasterium expendere debeat dotem acceptam pro novitia admittenda ad professionem?*

Impendenda est in emtionem fundorum fructiferorum, ut ex fructibus inde provenientibus monialis sustentetur sine dispendio monasterii.

25. *An moniales absque debita solemnitate alienantes dotem incurrant in pœnas latas contra alienantes bona ecclesiastica?*

Maxime incurrunt.

26. *An translata moniali ex uno ad aliud monasterium, debeat transferri etiam dos tradita priori monasterio?*

Certum est apud omnes, quod si posterius monasterium cogatur admittere dictam monialem, ei a priori monasterio solvenda est dos: sin autem sponte et voluntarie monialem admittat, litigium inter Theologos: juxta Sanchez et alios non est reddenda.

27. *Ad quem spectat taxare dotem monialium?*

Per se videtur spectare ad Superiorem monialium ex consensu majoris partis monialium monasterii, saltem ad evitandas monialium querelas. Tamen standum est praxi, et consuetudini locorum.

28. *An moniales possint, si velint unanimiter, admittere aliquam novitiam ad professionem absque solutione debitæ dotis?*

Minime possunt admittere Moniales Choristas: Conversas vero possunt, ex declaratione Sac. Cong.

29. *A quo tempore inchoari debeat annus probationis?*

Licet in jure nulla reperiatur ætas præcise statuta, tamen ex decr. Sacræ Cong. inchoari debet post annum decimum quintum

completum novitiæ. Ante hanc ætatem requiritur licentia S. Cong.

30. Num annus probationis debeat esse integer, et continuus?

Maxime integer a puncto ad punctum, et a momento in momentum; adeo ut professio facta nondum completo anno, etiam per modicum tempus, sit nulla: continuus, itaut novitia, si animo differendi professionem ex monasterio exeat, etiam per duas solas horas, teneatur renovare annum probationis, ex decr. S. Cong.

31. Quid si novitia exeat a monasterio infirmitatis causa?

In hoc casu annus probationis etiam interrumpitur, et tenetur semper iterum incipere annum, uti colligitur ex variis decr. S. Cong.

32. Per quanti temporis spatium possint Ordinarii, vel Prælati monialium prorogare professionem post annum probationis ex rationabili causa?

Usque ad sex menses, quibus elapsis, si professio ultra est protrahenda, requiritur tunc dispensatio Pontificis; quod decretum fuit a S. Cong.

33. Quænam sint monialium obligationes?

Sunt plures. 1. Obligatio tendendi ad perfectionem. 2. Servandi vota emissa in professione. 3. Observandi clausuram. 4. Recitandi Divinum Officium.

DE OBLIGATIONE TENDENDI AD PERFECTIONEM.

34. *Quid est perfectio, ad quam tendere debent moniales?*

Perfectio assequibilis in hac vita juxta D. Tho. est charitas perfecta; perfectio charitatis, ait citatus doctor, est finis status religiosi.

35. An moniales teneantur esse perfectæ?

Minime, sed tenentur tantummodo semper tendere ad perfectionem: propterea in definitione dicitur status perpetuo perfectionis adquirendæ.

36. An teneantur moniales sub mortali ad perfectionem tendere?

Maxime; quia est obligatio substantialis, et præcipua sui status, ad quam ex vi professionis moniales se adstrinxerunt: ita communiter.

37. In quo talis obligatio consistit?

Consistit in continuo quodam motu erga perfectionem, itaut nunquam ab hoc motu et progressu monialis quiescat, nec dicat satis est, sed semper ad altiora aspiret: ita Salmatic.

38. Utrum teneantur Religiosæ per omnia evangelica consilia ad perfectionem ire?

Minime, sed per illa tantum, quæ sunt secundum regulam, et observantiam Religionis: ita D. Thom. 2. 2. q. 186. a. 2.

39. Quando graviter peccat monialis contra obligationem tendendi ad perfectionem?

Mortaliter peccat juxta omnes in sequentibus casibus: 1. quando regulas ad culpam venialem tantum, vel ad nullam obligantes ex contemptu transgreditur: 2. quando omittit eas observare tanquam inanes, vanas, et inutiles: 3. quando eo pravo fine regulas non observat, ut impediat suam perfectionem: 4. quando ejus pravo exemplo alias inducit ad regulæ relaxationem.

40. Religiosa, quæ intendit tantum servare mandata obligantia sub gravi, alia vero statuit transgredi, vel de iis non curare, graviter, an leviter peccat?

Quæstio inter Doct. Alii dicunt peccare graviter; quia istud propositum est virtualis contemptus regularum. Alii negant; quia professa cum velit tantum servare præcepta sub mortali obligantia, cum ista de se, et respectu aliorum sint mera consilia, jam tendit aliquo modo ad perfectionem.

DE VOTO PAUPERTATIS.

41. Ad quid tenetur monialis voto paupertatis?

Obligatur hoc voto, ut nihil habeat proprium: ita ex can. *Non dicatis* 11.caus.12.q.1.

42. Nomine proprii, seu proprietatis quid intelligitur?

Hoc vocabulo intelliguntur tantummodo bona temporalia pretio æstimabilia, tam mobilia, quam immobilia, quorum dominium, usum, et possessionem monialis in perpetuum abdicavit.

43. An paupertas religiosa privet etiam usu meri facti?

Ante responsionem præmittendum, hunc usum consistere in

actione, qua homo percipit utilitatem ex re aliqua, quamquam nullum jus in ipsa habeat. Hoc posito dico, non privare hoc votum usu meri facti; quia hic usus non exercetur a moniali nomine proprio, sed nomine superioris.

44. *Utrum licitum sit moniali habere peculium, livellum, aut vitalitium?*

Distinguo: vel in monasterio non observatur vita communis ob nimiam paupertatem, aut ob incuriam Abbatissæ, et juxta omnes potest illud habere ad nutum Abbatissæ, aut Prælati: vel observatur vita communis, et dico etiam licere saltem ex consuetudine juxta communiorem sententiam. Dixi saltem ex consuetudine, quia peculium fuit interdictum a Conc. Trid. uti probabilius colligitur ex cap. *Nemini* 2. cit. sess. Sed consuetudo hunc rigorem Concilii temperavit.

45. *Quænam conditiones requiruntur, ut monialis possit licite uti peculio sibi concesso?*

Plures: 1. Ut habeat illud dependenter a voluntate superioris. 2. Ut sit parata illud consignare ad nutum ejusdem superioris. 3. Ut eo non utatur, nisi ad res licitas, et necessarias. 4. Ut sit moderatum, et non superfluum. 5. Denique ut sit penes ærarium commune.

46. *An possint moniales cum licentia Superioris consanguineis cedere fructus sui livelli?*

Minime; sed requiritur licentia S. Congregationis, uti constat ex pluribus decretis ejusdem Congregationis; sicut habetur apud Lucium Ferr.

47. *Num possit monialis pecuniam sui livelli tradere monasterio cum pacto, ut monasterium certos reditus, sua vita durante, sibi solvat?*

Minime; sic enim expresse decrevit S. Congregatio. Vide Lucium Ferr. in verbo *Monial.*

48. *Quibus modis potest Religiosa contra paupertatis votum peccare?*

Triplici modo; 1. vel male acquirendo; 2. vel male possidendo; 3. vel male utendo.

49. *Quando male acquirendo?*

Quando accipit aliquid, etiam de iis, quæ ad victum et vestitum pertinent, sine licentia Superioris: uti constat ex cap. cit. *Cum ad Monasterium.*

50. Quid si aliquid ex bonis ipsius monasterii accipiat sine licentia?

Etiam peccat contra votum, et violat religionem simul, et justitiam; quia accipit alienum.

51. Potest ne monialis pecuniam in mutuum sine consensu Superioris accipere?

Minime; quia sibi usurpat dominium rei mutuo acceptæ. Excipitur tamen casus necessitatis; quia tunc præsumitur consensus Prælati (2).

52. An sit contra votum paupertatis accipere pecuniam, vel aliam rem ad custodiam dumtaxat?

Minime; quia nihil Religiosa sibi applicat. Potest tamen peccare aliquando contra obedientiam tantum.

53. Quando peccat male possidendo?

Quando monialis detinet rem aliquam pretio æstimabilem nomine proprio, scilicet sine superioris licentia; vel quando, obtenta licentia, ita occulte detinet, ut res a superiore inveniri nequeat.

54. Quando denique monialis paupertatis votum violat male utendo?

Quando aliquid ex rebus ad suum usum concessis in alium expendit usum, aut culpabiliter amittit, vel destruit; quia est actus dominii rem aliquam arbitratu suo disponere (3).

55. An possit monialis ex rebus sibi ad usum concessis aliquid detrahere parcius vivendo, et ali cui donare sine Superioris licentia?

Distinguo: vel moniali certa quantitas est assignata, ut nec monasterium teneatur aliud ei præstare, nec ipsa rationem reddere, et tunc potest; quia præsumitur consensus: aliter non potest: ita B. Ligorius cum aliis.

(2) Sic etiam non potest aliquid in mutuum dare. At si det in mutuum res sibi ad usum concessas, peccat tantum leviter, si de restitutione sit tuta, ut permulti tenent graves Doctores.

(3) Probabilius irrita est alienatio ad usus illicitos, etiamsi expressa adsit superioris licentia.

Potest Abbatissa per se contractus inire in rebus levioribus: in gravioribus requiritur consensus Capituli, *ex cap. 6. de his quæ fiunt a prælato etc.* At non potest, ne consensu quidem Capituli, monasterii immobilia, vel mobilia pretiosa alienare, ultra triennium locare, oppignorare, de iis transigere, super iis imponere censum, vel hypothecam, sine licentia S. Congreg. *Extravag. un. de rebus Eccles. non alienan.* neque pecunias ad cambium recipere cum solutione lucri cessantis, ex decr. S. C. Excipiunt DD. si res non excedat valorem 25. scutorum, et alienatio sit in evidentem utilitatem monasterii; vel si sit res ei inutilis.

56. Monialis quomodo peccat violando paupertatis votum?

Peccat graviter vel leviter, prout est materia.

57. Quænam quantitas materiæ requiritur, ut graviter peccet?

Variant Doctores: sed cum Layman et aliis putarem, summam gravem esse illam, quæ pro furto absolute statuitur: non vero illam, uti autumant alii, quæ statuitur pro furto filiorumfamilias.

58. An eadem quantitas ad constituendam materiam gravem requiritur, tam si alienatio sine debita licentia fiat extrancis, quam moniali ejusdem monasterii?

Minime, sed major quantitas requiritur in alienatione facta moniali ejusdem monasterii; quia Superior non est tam invitus de ista alienatione, quam est invitus, si res extraneo donetur.

59. Quomodo est mensuranda gravitas culpæ in violatione voti paupertatis quoad usum?

Est mensuranda non ex pretio rei concessæ ad usum, sed ex ipso usu; videlicet quanti æstimari possit talis usus.

60. An paucula furtula commissa a moniali per continuationem constituant materiam gravem?

Maxime, omissa contraria sententia; quia furtula moraliter inter se coalescunt; modo inter unum et aliud furtum non intercedat tempus notabile; et modo etiam non sit de esculentis, et poculentis sublatis ex bonis monasterii ad suos usus; quia in hisce casibus monialis peccat leviter, etiamsi perveniat ad magnam quantitatem.

61. An monialis teneatur ad restitutionem, quando sine debita licentia aliquid accipit, vel donat?

Maxime, quia violavit justitiam.

62. Ex quo facienda est a moniali hæc restitutio?

Ex peculio, vel annuis reditibus: et si peculium non habeat, juxta multos tenetur sibi subtrahere aliquid ex rebus sibi ad usum concessis.

63. Quænam licentia requiritur, ut possit monialis absque peccato aliquid accipere, vel alienare?

Ante responsionem præmittere oportet, triplicem considerari posse licentiam, nimirum expressam, tacitam, et præsumptam: expressa est illa, quæ verbo, vel scripto datur: tacita est, quando superior videt, et non contradicit, cum possit: præsumpta habetur,

quum monialis inconsulto Superiore aliquid accipit prudenter credens fore, ut Superior licentiam daret, si peteretur. His præmissis dicendum sufficere etiam licentiam tacitam, modo taciturnitas sit vera Superioris approbatio, et non sit sola permissio: præsumptam vero non sufficere, nisi in casu necessitatis, uti probabilius videtur, cum Salmatic. et aliis (4).

64. Num moniales votum paupertatis violando in pœnas aliquas incidant?

Incurrunt in privationem vocis activæ et passivæ per biennium juxta Trident. quæ est latæ sententiæ, uti declaravit Clemens VIII. in Bulla *Nulla omnino*. Insuper incurrunt in privationem ecclesiasticæ sepulturæ, uti ex cit. cap. *Cum ad Monasterium*. In allatas pœnas incidit monialis, quando violat votum habendo, vel retinendo aliquid nomine proprio, non vero quando alienat.

65. Moniales largientes munera num incidant in aliquas pœnas?

Ex constitutione Clementis VIII, quæ incipit *Religiosæ*, incidunt in privationem dignitatum et officiorum, in inhabilitatem ad illa, et alia in futurum obtinenda, in infamiam, et in privationem vocis activæ et passivæ: quæ quidem constitutio non fuit quoad prædictas pœnas ab Urbano VIII. moderata in sua constitutione, quæ incipit *Nuper*.

66. Quid requiritur, ut moniales munera largientes incidant in prædictas pœnas?

1. Ut quantitas sit sufficiens ad contrahendas has pœnas. 2. Ut donatio, vel largitio fiat absque Superiorum licentia. 3. Ut sit omnino liberalis et gratuita: uti declaravit Urb. VIII. constitutionem Clementis VIII. moderando.

67. Quibus pœnis afficiuntur, qui largitionem munerum a monialibus recipiunt?

Incidunt in casum reservatum Pontifici, si donatio summam decem scutorum excedat, et modo sit omnino gratuita, et sine li-

(4) B. Alph. Ligorio et aliis probabilior videtur contraria opinio, præsertim si agatur de rebus parvi momenti. Hæc est etiam doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 32. a. 8. ad 1. et in 4. d. 15. q. 2. a. 5. q. 4.

Licentia petita, et injuste negata non excusat a trangressione voti paupertatis, nisi adsit gravis damni periculum.

centia: infra vero prædictam summam in casum Cardinali Pœnitentiario reservatum (5).

68. Quam quantitatem expendendi potest Abbatissa concedere moniali?

Si in constitutionibus taxata est quantitas, et tunc juxta omnes hæc taxa est servanda: si vero non est taxata, et litigium inter Theologos: nonnulli dicunt posse Abbatissam concedere facultatem expendendi decem vel quindecim aureos singulis annis: alii duos vel tres aureos singulis mensibus: sed probabilius et melius dicendum, arbitrio viri prudentis esse definiendam hanc quantitatem, spectatis circumstantiis, scilicet causa largiendi, quantitate redituum monasterii, necessitate piæ causæ, in cujus commodum largitio facienda est.

69. Abbatissæ possuntne facere de bonis monasterii eleemosynas, aut donationes?

Maxime; Abbatissa enim cum sit administratrix bonorum monasterii, licite potest bona ista expendere, et insumere, prout recta ratio dictabit; modo hæc facultas restricta et limitata non fuerit a constitutionibus, vel præcepto Prælati.

DE VOTO OBEDIENTIÆ.

70. Q*uid est votum obedientiæ emissum a monialibus?*

Est promissio facta Deo, qua monialis propriam subjiciens voluntatem superioribus, se obligat ad parendum eis in omnibus, quæ juxta propriam regulam juste jubebunt.

(5) De hac reservatione aliqua sunt notanda scitu necessaria ex bulla Ben. XIV. 1. Hanc incurrit reservationem omnis qui a Religioso vel a Moniali donationem accipit ultra decem scutos romanos, omnino gratuitam, et sine licentia Superioris. 2. Qui bona fide hujusmodi donationem accipit, casum non incurrit: sed, superveniente mala fide, debet acceptum restituere; aliter in casum incidit: excipe, si acceptum sit consumtum, et in nihilo accipiens sit factus ditior. 3. Facta restitutione cessat reservatio. Sic etiam cessat, si accipiens impos sit ad restituendum, durante impotentia: requiritur tamen promissio jurata restituendi, si potuerit. 4. Minime cessat reservatio, si acceptum condonetur a monasterio: sed desinit tantum obligatio restituendi; sic fuit declaratum a S. Congrèg. 5. Si donatio est infra decem scutos, potest accipiens a Cardinale Pœnitentiario absolvi, injuncta tamen aliqua eleemosyna monasterio facienda.

71\. *Ad quid persona religiosa tenetur ex vi voti obedientiæ?*

Tenetur primo ad præcepta regulæ, quam observare promisit. Secundo tenetur ad omnia, quæ Superiores præcipiunt secundum regulas, sive directe et expresse, sive indirecte et implicite(6).

72\. *Quibus Superioribus tenentur moniales parere ex vi voti obedientiæ?*

Tenentur parere Papæ, Ordinario, vel Prælato Regulari, si ei immediate subjiciuntur, et propriæ Abbatissæ; quia per votum istis se subjiciunt.

73\. *Quid si moniales emiserint professionem, quando regula erat jam deformata, et longæva consuetudine jam relaxata, num teneantur Prælatis obedire, si ab eis obligantur ad observantiam regulæ juxta pristinum institutum?*

Juxta multos tenentur; quia quamvis consuetudo vim habeat relaxandi regulam, non tollit tamen Prælatis facultatem hujusmodi relaxationem amovendi, nec a subditis obligationem, ut ad regulam reformatam teneantur: quæ quidem sententia videtur probabilior, præsertim quando reformatio apparet medium necessarium ad Ordinis conservationem, et ad vota essentialia conservanda.

74\. *Num teneatur monialis obedire Abbatissæ in his, quæ sunt contra regulam?*

Minime; modo Abbatissæ non fuerit a Prælato commissa facultas dispensandi, et legitima causa dispensandi subsit.

75\. *Quid si Superior aliquid præcipiat vel supra, vel infra, vel præter regulam, teneturne monialis illud exequi?*

Ne tenetur quidem; quia ipsa non promisit obedientiam, nisi secundum regulam: nec refert, quod regulæ aliquando jubeant in omnibus obedire; id enim non de obligatione voti, sed de obedientiæ perfectione intelligitur: ita communiter.

76\. *Quando monialis contra obedientiæ votum peccat?*

1\. Quando non observat regulam sub peccato præcipientem; quia talis regula non est minus præceptiva, quam vox Superioris. 2. Quando transgreditur præceptum Superioris juxta regulam impositum: et graviter, vel leviter hisce casibus, prout est præceptum.

(6) Tenetur etiam acceptare munus intra Ordinem, si Superior præcipiat; etiamsi præcesserit pactum in contrarium.

77. Quid si regula sub peccato non obliget, num monialis illam transgrediens peccet?

Si transgressio fiat ob justam causam, et bonum finem, nullum peccatum committit; parata tamen debet esse violatrix ad subeundam pœnam: si vero sine justa causa, sed ex negligentia, et torpore, est veniale peccatum.

78. Quot peccata monialis committit contra præceptum Superioris operando?

Duo peccata: unum contra Religionem ratione voti; alterum contra obedientiæ virtutem ratione traditionis de seipsa factæ in professione, ob quam etiam sine voto tenetur legitimo Superiori obedire; ita Salmat. et alii.

79. Teneturne monialis obedire Abbatissæ, quando in virtute obedientiæ aliquid juxta regulam illi præcipit?

Maxime, quidquid alii in contrarium sentiant; quia Abbatissa est vere Superior: et licet non possit jurisdictionem exercere; potest tamen tanquam Ministra exigere obedientiam per votum promissam circa res, quæ sunt a regulis præceptæ.

80. Potestne Abbatissa dispensare cum suis monialibus in regulis, aut in votis?

Non potest, nisi ex commissione Prælati regulas dispensare; bene tamen potest de se declarare, aliquando regulam non obligare. Vota vero particularia emissa a monialibus Abbatissa non potest neque dispensare, neque commutare; sed tantum irritare: ita communiter.

DE VOTO CASTITATIS.

81. QUid est Castitas Religiosa?

Est virtus, qua monialis per votum promisit Deo sese cohibere ab omni delectatione venerea tam licita, quam illicita: quæ quidem virtus si integritati et puritati carnis est conjuncta, dicitur castitas virginalis; sin autem simpliciter castitas.

82. Ad quid igitur obligantur moniales castitatis voto?

Obligantur ad perpetuo abstinendum non solum ab omni actu venereo, sive interno sive externo, contrario castitati, a quo quili-

bet Christianus ex vi juris naturalis et divini extra conjugium se debet abstinere; sed etiam ab illis actibus, qui sunt conjugatis permissi.

83. In quibus casibus moniales violant votum castitatis?

Violant in sequentibus casibus: et quidem si deliberate capiant delectationem morosam de rebus venereis: si propriam pollutionem procurent, aut de ea aliunde secuta turpiter delectentur: si turpes foveant amicitias: si obscenos habeant sermones; vel lasciva canant; librosve turpes aut amatorios legant: si osculis, amplexibus, vel tactibus obscenis carnaliter delectentur: si retineant impudicas imagines, vel aspiciant objecta inhonesta et valde ad libidinem provocantia: in his, vel aliis similibus casibus moniales violant votum castitatis; ideoque duo peccata committunt, unum contra castitatem, alterum contra Religionem ob violationem voti.

84. Monialis quæ habet tractatus impudicos cum alia moniali, unicum, an duplex peccatum contra religionem committat?

Duplex, quia violat votum propriæ castitatis, et cooperatur violationi voti alterius.

85. Monialis, quæ in delectatione venerea secludit votum castitatis, et de ea delectatur tantum uti persona humana, et non uti Deo per votum sacrata, num etiam in hoc casu peccet contra Religionem?

Maxime juxta omnes, circumstantia enim voti est inseparabilis a persona, quæ de re venerea delectatur.

86. Num mortaliter peccet monialis, quæ matrimonium optat sub conditione, si a professione esset libera?

Minime, illa enim conditio aufert malitiam operis. Attamen inquit Cajetanus, hæc esset fatua et diabolica tentatio, quæ ad peccatum ducere solet.

DE CLAUSURA.

87. Quid est Clausura monialium?

Clausura est spatium illud, quod intra januam monasterii semper clausam continetur, intra quod spatium moniales sistere se debent.

88. Monialis, quæ ascendit super tegulas tecti ipsius monasterii, num clausuram violet?

Maxime, modo conscendat tectum superpositum parietibus

monasterium integrum circumsepientibus; quia censetur esse extra clausuræ ambitum: ita Bonacina. Si vero conscendat tectum, quod monasterii interiorem ambitum respicit, et tunc probabilius videtur non violare clausuram.

89. Num monialis sit rea violatæ clausuræ, si per duos pedes toto corpore egrediatur e monasterii janua?

Affirmative, etiamsi ad unum tantum pedem processerit; clausura enim habet sua confinia, et natura confinii est indivisibilis, cum inter intra et extra non detur locus medius: ita B. Ligorius.

90. Quid vero dicendum de illa, quæ sub ostio clausuræ subsistens unum tantum pedem efferat extra clausuræ terminos, altero intra retento?

Cum eodem B. Ligorio dicendum, non incidere in crimen violatæ clausuræ; quia perfecte non egreditur extra clausuræ confinia.

91. Ex quo jure moniales servare tenentur clausuram?

Ex jure ecclesiastico, et etiam ex naturali, si moniales ad clausuram voto se obstrinxerint.

92. Quot igitur peccata committit monialis, quæ clausuram violat?

Peccat contra præceptum Ecclesiæ; et contra Religionem etiam, si clausuram voverit.

93. Quænam moniales obligantur ad servandam clausuram?

Omnes et singulæ moniales professæ, cujuscumque Ordinis illæ sint, modo in congregatione vivant, ad servandam clausuram tenentur: ita ex cap. *Periculoso* un. de statu regul. in 6. et confirmatur a Conc. Trid. cap. 5. cit. sess. 25.

94. Quot modis violatur clausura?

Duobus, per egressum monialis extra septa, et per ingressum extraneorum intra septa monasterii, sine debita caussa, vel sine debita licentia.

95. In quam pœnam incidunt moniales per egressum sine licentia?

Incidunt ipso facto in pœnam excommunicationis Pontifici reservatam, quæ extenditur etiam ad concedentes licentiam egrediendi sine debita caussa, ad comitantes, et receptantes, cujuscumque conditionis illi sint, etiamsi fuerint consanguinei. Imo prædictæ moniales egredientes, et Superiores egrediendi facultatem concedentes incurrunt etiam privationem dignitatum, administrationum, et of-

ficiorum, et inhabiles ad illa, et ad alia in futurum obtinenda efficiuntur. Ita decernit S. Pius V. in const. *Decori et honestati.*

96. Quinam potest ab hac excommunicatione, et præfatis pœnis absolvere, et dispensare?

Quoad excommunicationem Episcopus, modo delictum sit occultum, ex cap. *Liceat* Trid. Pontifex vero, quando delictum est publicum, vel deductum ad forum contentiosum. Excipitur monialis, quam Episcopus potest absolvere ab excommunicatione, licet delictum sit publicum, ob impedimentum perpetuum ratione clausuræ: uti ex cap. *De monialibus* 33. de senten. excomm. Quoad alias pœnas potest Epicopus, quia non sunt reservatæ; uti apparet ex vol. Bull.

97. Ad quem pertinet monialibus concedere facultatem exeundi?

Pertinet ad Episcopum, auctoritate propria in monasteriis sibi subjectis, delegata vero in monasteriis sedi Apostolicæ immediate subjectis: ita decernitur a Trid. sess. 25. cap. 5.

98. Quid dicendum de monasteriis, quæ Regularibus sunt subjecta?

Licentia egrediendi concedenda est tam a Prælato Ordinis, quam ab Episcopo, vel ejus Vicario; uti decrevit S. Pius V. in cit. bulla *Decori et honestati*; modo non adsit in aliquibus locis consuetudo contraria.

99. Utrum hæc licentia in scriptis concedi debeat?

Affirmative; quia sic præscribitur ab eodem Pontifice in prædicta bulla, ubi habetur *ex causa cognita, et expresse in scriptis approbata.*

100. Quænam debeat esse caussa ob quam concedi potest facultas exeundi?

Justa, et gravis; sic colligitur ex Trid. sess. 25. cap. 5. et ex bulla S. Pii V. pluries citata.

101. Quænam censetur justa, et gravis caussa?

Jure antiquo in cit. cap. *Periculoso* justa caussa censetur infirmitas, ob quam monialis nequit cum aliis absque gravi periculo vel scandalo commorari. Ex Tridentino caussa relinquitur judicio Episcopi definienda: ex bulla S. Pii V. tres caussæ tantummodo exprimuntur, nempe incendii, epidemiæ, et lepræ.

102. Utrum Episcopus possit concedere facultatem egrediendi non solum ob tres allatas caussas, sed etiam ob consimiles?

Litigium inter Doctores: tamen videtur verosimilius, quod

possit; quia licet in laudata bulla S. Pii V. habeatur dictio taxativa *nisi*, tamen usu receptum est ob alias consimiles caussas concedi posse exeundi facultatem.

103. Monialis quæ ob justam caussam obtinuit licentiam egrediendi, cessante caussa num teneatur reingredi?

Maxime: immo statim ad hoc tenetur, uti decernitur a S. Pio V.

DE POENIS CONTRA VIOLANTES CLAUSURAM PER INGRESSUM.

104. Quibus personis ecclesiastica lege sit interdictus ingressus in monasterium monialium?

Omnibus cujuscumque generis, ætatis, conditionis, et status; uti patet ex cit. cap. *Periculoso*, et ex Conc. Trid. sess. cit. cap. 5.

105. Num introducentes pueros, et puellas ante usum rationis in monasterium monialium incidant in censuram?

Quamvis ex communi Theologorum suffragio in Tridentina Synodo non complectantur pueri ante usum rationis, tamen ex decretis Sacræ Congreg. incurrunt introducentes: imo Abbatissa, quæ hoc permittit, privatur officio, et voce passiva: et tanto magis hoc dicendum de amentibus. Vide Luc. Ferr.

106. In quam pœnam incidunt violantes clausuram monialium per ingressum?

In excommunicationem nemini reservatam; uti patet ex cit. Trid. sess. Si vero violetur clausura ob turpem finem, in excommunicationem Papæ reservatam, quæ est specialis mentionis, uti ex decr. Clementis VIII. Si denique non ob turpem finem, sed ex prætextu facultatum jam revocatarum, incurritur in excommunicationem Pontifici reservatam, uti constat ex bulla Greg. XIII. *Ubi gratia*. Quæ quidem excommunicatio contrahitur etiam a Superioribus monasterii, si aliquem ingredi faciant vel permittant prætextu facultatum; et præter excommunicationem incidunt etiam in privationem officiorum, et inhabilitatem ad ea.

107. Num Prælati Sæculares, vel Regulares in monasterii sibi subjecti possint ingredi clausuram?

Maxime, sed in casibus tantummodo necessariis.

108. Num incidant in aliquam pœnam in casibus non necessariis?

Maxime: pro prima vice in interdictum ab ingressu Ecclesiæ: pro secunda in suspensionem a munere pontificali, et a divinis: pro tertia denique in excomm. nemini reservatam, si sint Prælati Sæculares: si vero sint Regulares, præter excomm. privationem quoque incurrunt ab omnibus officiis et dignitatibus, etiam pro prima vice ingredientes.

109. Confessarii monialium quando, et quomodo possint ingredi clausuram?

Ex const. Alex. VII. quæ incipit *Felici*, possunt cum licentia ingredi clausuram tantum ad ministranda Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis Sacramenta tam monialibus, quam aliis personis infirmis ibi degentibus; nec non ad commendandam animam agonizantium, et juxta declarationem Sacræ Cong. debent ingredi induti superpelliceo et stola, atque sic ibi morari: sed circa hoc standum est consuetudini.

110. Num qui cum licentia in monasterium ingreditur, graviter peccet, et excommunicationem incurrat, si finito negotio statim non egrediatur?

Non excusatur a gravi culpa, si mora sit longa: si mora vero sit brevis, per quadrantem scilicet, non peccat, ne venialiter quidem; quia sic usu receptum est etiam apud viros timoratæ conscientiæ. In excomm. tamen non incurrit juxta probabiliorem sententiam; quia non dicitur clausuræ violator, qui cum licentia ingreditur.

111. Medici quando, et quomodo possunt clausuram ingredi?

Ordinarius potest ingredi etiam de nocte in casibus urgentis necessitatis, ex licentia renovata in singulis trimestribus: debet tamen associari a duabus monialibus senioribus; ita ex decr. S. Cong. Extraordinarius vero non potest ingredi ad libitum monialium, sed tantum in defectu ordinarii, vel quando cum ordinario habendum est collegium.

112. Quinam possunt monialium monasteria ingrediendi facultatem concedere?

Omnes illi, qui concedere possunt facultatem egrediendi e clausura, jus etiam habent concedendi facultatem ingrediendi.

113. Quot conditiones requiruntur ad licentiam ingrediendi claustra monialium?

Duæ conditiones requiruntur. Prima est, ut licentia sit specialis, idest ut in specie contineat facultatem ingrediendi; sic præscribitur in cit. cap. *Periculòso « nisi specialis licentia »*: altera, ut in scriptis detur, nisi periculum sit in mora; sicuti statutum est a Trid. sess. 25. cap. 1.

114. Est ne valida licentia ad ingrediendum obtenta, quando est generalis quoad personas, licet sit specialis quoad caussam ingressus?

Litigium inter DD. Sunt qui dicunt valere; quia revera est specialis: sunt qui negant (quorum sententiæ ego adhæreo cum B. Ligorio); quia jus exquirit licentiam specialem, non tantum ut sciatur ministerium ingredientium, sed etiam qualitates personarum, si sint viri probi, maturæ ætatis, et similia.

115. Quænam causa requiritur ad hanc licentiam concedendam?

Requiritur necessitas, ut præscribit Trid. in cit. cap. 5. sess. 25. quæ quidem necessitas debet esse ex parte ipsius monasterii, non vero ex parte extraneorum; nisi jus divinum aut naturale aliud suadeat.

116. Hæc necessitas stricte, an late sumenda est?

Late; intelligitur enim necessitas moralis, nempe quæcumque caussa rationabilis, sive probabiliter justa; ita communiter.

DE ALIIS MONIALIUM PRÆCIPUIS OBLIGATIONIBUS.

117. *AN, et quo jure teneantur moniales recitare horas canonicas?*

Tenentur, si sint ex deputatis ad chorum; et tenentur (relicta contraria sententia) sub gravi publice in choro officium divinum persolvere, non ex aliquo præcepto, sed ex antiqua Ecclesiæ consuetudine ubique recepta, et ex statutis fere omnium Religionum; et colligitur ex cap. *Dolentes* 9. de celebrat. miss. (7)

(7) Ad horas tenentur etiam religiosi extra claustra ex licentia degentes; vel in carcere detenti. Probabilius obligantur religiosi profugi. Est autem quæstio, utrum ad horas canonicas teneantur religiosi per sententiam ejecti. Ex communiori sententia non tenen-

118. An, si monialis utpote legitime impedita choro non intersit, teneatur etiam privatim horas canonicas persolvere?

Maxime, et etiam sub mortali, ita ex ipsa consuetudine.

119. An moniales choristæ teneantur recitare extra chorum officia, quæ pro benefactoribus solent certis diebus recitari in choro, si a choro absint?

Minime, et quidem etiam si dicta officia recitari debeant ex obligatione justitiæ; hoc enim est onus afficiens communitatem, non vero singulas; et a Gavanto affertur etiam decretum S. Congreg. Rituum, ubi sic fuit decisum.

120. Monialis ad chorum non deputata ad quid tenetur?

Tenetur ad preces sibi loco officii impositas: sed non sub gravi; quia hæc obligatio non oritur ex consuetudine, sed a regula, quæ communiter quoad hoc non obligat ad culpam gravem.

121. Moniales tenentur ne deferre habitum, et tonsuram?

Tenentur deferre habitum, et tonsuram: habitum quidem portare tenentur in omni occasione, itaut facientes oppositum peccent, ita ex cap. *Ut periculosa* 2. ne Clerici, vel Monachi in 6. immo monialis dimittens temere habitum suæ professionis excomm. incurrit ipso facto: ad quam incurrendam requiritur, 1. ut dimissio habitus sit facta animo occultandi statum: 2. scientia; aliter ignorantia etiam crassa ab ea incurrenda excusaret: quoad tonsuram patet ex Clem. *Attendentes* 2. de statu Monachorum.

122. An moniales teneantur ad Sacramentorum frequentiam?

Ex dispositione Conc. Trid. sess. 25. de Regul. et Monialib. cap. 10. moniales debent saltem semel singulis mensibus confiteri, et sacram Eucharistiam sumere: ad hoc tamen, ut communius docent DD. tenentur ex consilio, non vero ex præcepto; quia Concilium in cit. cap. utitur verbo *admoneantur.*

123. Ad quid tenetur Abbatissa spectatim?

Tenetur sub lethali abusus, et relaxationem regulæ impedire; et si possit, introductos abusus ac relaxationem extirpare.

tur ad triremes damnati.

Ex communi vero sententia nullus religiosus, vel monialis in particulari obligatur sub gravi horas dicere in choro: modo tamen chorus non tollatur. Graviter tamen peccant Prælati, qui ex negligentia permittunt, ut omittatur pars notabilis recitari in choro, quidquid aliqui dicant.

124. *Quotuplex est Velum monialium?*

Multiplex: Velum probationis, quod a principio datur novitiæ, et solet esse album: Velum professionis, quod datur in actu professionis fœminæ, sive sit virgo, sive sit vidua, Religionem profitenti: Velum ordinationis, quo decoratur monialis ordinanda in Diaconissam: Velum continentiæ, quod viduis professis tantum imponitur: Velum consecrationis, quod datur virgini professæ.

125. *An omnes hæ veli species sint hodie in usu penes Ecclesiam?*

Minime: sed tantum velum probationis, professionis, et consecrationis, de quo hic aliqua sunt dicenda.

126. *Quænam requirantur in moniali, ut possit licite velum consecrationis recipere?*

Plura: 1.° ut sit virgo, uti habetur in can. *Devotis* 11. caus. 20. q. 1. 2.° ut expleverit xxv. annum, sicuti in can. *Placuit* 5. dist. 77. 3.° ut sit professa in ordine approbato: 4.° ut non sit ex ordine Mendicantium, uti declaravit Sacra Ep. Cong.

127. *Quare monialis debet esse virgo, ut consecrationis velum accipiat?*

Quia hoc velum repræsentat conjugium spiritale Christi, et Ecclesiæ quoad integritatem: quæ quidem integritatis significatio plene potest esse tantum in continentia virginali.

128. *A quo sint moniales velandæ?*

Ab Episcopo; solus enim Episcopus, cui committitur cura Ecclesiæ, virgines desponsat, non sibi, sed Christo, quasi sponsi paranymphus, et amicus: ita D. Thom. 4. dist. 4.

129. *Virgo per vim oppressa debetne se abstinere a velo consecrationis, sive res sit occulta, sive sit notoria?*

Si virgo est certa, se nullo modo hujusmodi oppressioni consensisse, et res est omnino occulta, videtur posse consecrari, uti putat Lessius. Nec obstat decretum Leonis Papæ, quo hortantur hujusmodi virgines contaminatæ ad non se virginibus copulandas; nam Pontifex loquitur, quando res est notoria: tunc enim ob suspicionem consensus, et indecentiam non sunt velandæ.

130. *An idem dicendum, si virgo in sui deflorationem consenserit, et ejus corruptio sit etiam occulta, ita ut integra adhuc apud omnes existimetur?*

Minime; sed debet se a velo abstinere: aliter peccat, si petat, et accipiat consecrationem, corruptionem suam dissimulans: ita comm.

131. *Quid si absque scandalo, vel sui infamatione non possit hæc corrupta a consecratione se abstinere?*

Juxta multos potest hæc Sanctimonialis professa consecrationis velum non quidem petere, sed oblatum acceptare; nec mendacium ista profert, dum interrogata ab Episcopo de carnis integritate respondet se esse virginem, intelligendo se talem esse juxta communem hominum existimationem.

132. *An monialis, quæ per voluntariam seminis effusionem polluta est, integro tamen remanente claustro, possit velum consecrationis accipere?*

Ista (licet coram Deo virgo incorrupta non sit, neque virginitatis laureolam in cœlo habitura; quia tamen claustrum virginitatis illæsum adhuc servat) videtur posse licite velum consecrationis accipere: tum quia Ecclesia requirit solam carnis integritatem, uti habetur in pontificali R.º tum quia apud homines virgo censetur.

133. *An Episcopus, cui soli lapsus monialis corruptæ est notus, possit, et debeat eam repellere, si ad eam consecrandum vocetur?*

Distinguitur: vel Episcopus illam notitiam ex confessione habet, et non potest, neque tenetur; cum id fieri non possit absque fractione sigilli sacramentalis: vel id scit extra Sacramentum, per secretam scilicet revelationem ipsius monialis, tunc, si aliquo colore se excusando nullum subsit periculum scandali, nullamque afferat moniali infamiam, potest se subtrahere ab illo munere: sin aliter non potest, nec tenetur eam repellere; quia ex justitia tenetur servare secretum. Hinc potest illam consecrare, mutato tamen inter consecrandum nomine virginitatis in nomen castitatis, vel continentiæ: ita D. Thom. in 4. dist.

134. *Quid si adstantes per hanc vocis mutationem intelligant, monialem consecrandam non esse virginem, quomodo in casu se gerere debet Episcopus?*

Juxta Navarrum potest pronunciare verba consecrationis, quæ

virginitatem sonant, accipiendo illa intra mentem tanquam significantia castitatis; vel juxta alios intelligendo illam virginem esse juxta communem hominum existimationem.

DE CANONICA ELECTIONE ABBATISSÆ.

135. AD quem spectat electio Abbatissæ?

De jure communi spectat ad monasterium, cui ea præesse debet, uti colligitur ex cap. *Indemnitatibus* 43. de electione in 6. et ex Conc. Trid. sess. 25. de regul. cap. 6. et 7. Dixi de jure communi, quia hac in re servari debent singulorum Ordinum, seu monasteriorum constitutiones.

136. Quid requiritur in moniali ad hoc, ut eligi possit in Abbatissam, vel Priorissam?

Requiritur, ut monialis eligenda sit professa, ut habeat 40. annos completos, et ut 8. annis post professionem laudabiliter vixerit in monasterio: sic decidit Conc. Trid. in cit. cap. 7. (*8*)

137. Quid faciendum, si desit in monasterio, quæ talem ætatem habet?

Ex eodem Concilio habetur, quod possit eligi monialis habens triginta annos, et quinque professionis; vel alia ex alieno monasterio ejusdem Ordinis, et etiam alieni Ordinis; sed hoc non nisi cum assensu Sac. Congreg.

138. Quænam moniales non possunt eligi in Abbatissas?

Illegitimæ, infames, publice pœnitentiatæ, viduæ, corruptæ, nisi corruptio sit occulta, ex decr. Sac. Cong. item neque cæcæ, neque surdæ, et mutæ, neque tertia soror viventibus aliis duabus sororibus in monasterio: vide Ligorium, et Ferrar. verbo *Abbatissa* num. 8. ad 14.

139. An electio Abbatissæ fieri debeat per vota secreta?

Maxime, alias est nulla, etiamsi ex ignorantia hujus decreti

(*8*) Alias electio est nulla, quidquid aliqui dicant, ex declar. S. C. in una Viterbiensi 16. Maii 1623.

vota exhibeantur non secreta; ita ex decret. Concil. Triden. in cit. cap. 6. et plur. decr. S. C. Notandum, quod si qua monialis est in lecto infirma, quæ nollet renuntiare juri suo, ejus votum etiam est recipiendum, vel per scriptum sigillo munitum, vel per duas moniales a Præsidente electionis deputatas, uti decrevit Sac. Cong. quomodo notat Nat. de Alex. (9)

140. Quæ requiruntur in monialibus, ut possint concurrere ad electionem Abbatissæ activam?

Requiritur, ut sint professæ, et choristæ; conversæ enim non admittuntur ad electionem Abbatissæ: nisi alia vigeret consuetudo legitima (10).

141. Quinam debent præsidere electioni Abbatissæ?

In monasteriis non exemptis, vel sedi Apostolicæ submissis præsidet Episcopus vel per se, vel per suum Vicarium: in exemptis vero Prælatus Regularis una cum Episcopo: ex const. Greg. XV. *Inscrutabili.*

142. An, et a quo debeat confirmari Abbatissa electa?

Si monasterium sit immediate subjectum sedi Apost. Abbatissa recens electa confirmanda est a sede Apostolica. Si autem Ordinario vel Prælato Regulari est subjectum monasterium, ad ipsum Ordinarium vel Prælatum spectat confirmatio (11).

143. Ad quantum tempus fieri debet electio Abbatissæ?

Debet fieri solum ad triennium ad summum, ex decr. Greg. XIII. *Exposcit*: alias electio est nulla. Expleto triennio ne in Vicariam quidem novæ Abbatissæ eligi potest; quia præcipit Pontifex, ut Abbatissa anterior per triennium omni prorsus careat auctoritate (12).

---

(9) Ad electionem sufficit major pars votorum, ex communi sententia contra aliquos, qui requirunt duas tertias partes.

Electioni præsidens non potest suum suffragium dare ad componendum votorum discrepentiam: potest tamen præfigere tempus ad electionem, quo elapso, ipse Abbatissam deputabit, ut constat ex pluribus decr. S. C. apud Alex.

(10) Ex veriori sententia moniales tenentur digniorem eligere in Abbatissam, vel ad alia officia.

(11) Ante confirmationem nequit Abbatissa officium exercere.

(12) Id intelligendum est de monasteriis intra Italiam; non vero de existentibus extra; neque de collegiis, conservatoriis etc. Vide Luc. Ferr. verbo *Abbatissa* num. 79.

144. *An puellæ recipi possint in monasterio monialium educationis gratia?*

Maxime, uti patet ex pluribus decretis Sac. Cong. Episcop. et Reg. et signanter in Hieracensi 31. Augusti 1575.

145. *An omnia monasteria possint puellas ad educationem recipere?*

Minime, sed ea tantum, in quibus adest consuetudo: monasterium enim, in quo vel non viget consuetudo, vel expresse est ei prohibitum, non potest ad educationem puellas admittere: ead. S. Cong. et signanter in Parmen. 31. Octob. 1613.

146. *Quænam conditiones requiruntur, ut puellæ educandæ in monasterium recipiantur?*

Plures: I. ut puellæ in monasterio habitent in loco separato tam a dormitorio monialium, et novitiarum, quam a loco in quo ipsæ moniales vacare solent operibus manualibus: dicta S. Cong. in Novarien. 2. Junii 1595. II. Ut quælibet suum lectum separatum habeat: ead. S. Cong. in Camerin. 16. Martii 1593. III. Ut non recipiantur, nisi de expressa licentia Sac. Congregationis: ead. S. Cong. in Hieracensi 31. Aug. 1575. et hoc sub pœna violatæ clausuræ. IV. Ut adsit consensus Superioris, et monialium per secreta suffragia: dicta S. Cong. in Derton. 27. Maii 1607. V. Ut quælibet recipiatur sola, sine ancilla: ead. S. Cong. in Neapolitana 12. Martii 1619. VI. Ut puellæ utantur vestitu, qui virginali modestiæ, et pudicitiæ convenit: ead. S. Cong. in Hierac. 31. Aug. 1575. VII. Ut puella educanda septimum expleverit annum, nec sit major viginti quinque annis: ead. S. Congreg. in dicta Dertonensi 27. Maii 1607. VIII. Ut pro dictis puellis alimenta solvantur quolibet semestri in pecunia anticipata: in dicta Dertonensi.

147. *An licentia pro admissione puellæ educandæ in monasterio intelligatur concessa moniali particulari?*

Minime; licentia enim recipiendi in educationem conceditur solum monasterio in communi, non vero monialibus particularibus: ita decrevit ead. S. Cong. in Placentina 28. Febr. 1514,

148. Post obtentam licentiam requiriturne consensus Episcopi, ut puella educanda in monasterium recipiatur?

Vel monasterium est Ordinario subjectum, et ejus consensus requiritur: vel est Regularibus subjectum, et non requiritur, quando S. Congregatio licentiæ executionem Ordinario non commiserit: ita ead. S. Cong. in Cremon. Terræ Soncini 1. Septemb. 1690.

149. An prohibitum sit eodem monasterio recipere plures sorores, quam duas?

Minime; sic decrevit ead. S. Congreg. in Isernien. 11. Januarii 1622. prohibitio enim est non de educandis, sed tantum de admittendis ad professionem.

150. Puellæ educationis gratia in monasterio introductæ utrum teneantur ad clausuram instar monialium?

Maxime, ita ut egredi e monasterio absque licentia non sit eis permissum: ita communiter.

151. Puella e monasterio egressa absque superioris licentia num incurrat excomm. violatæ clausuræ?

Minime, licet alii in contrarium sentiant; jura enim præcipientia clausuram sub excomm. loquuntur de solis monialibus tacite aut expresse professis.

152. Puella educanda si nubere velit, num possit ad crates monasterii sponsalia inire?

Minime: et Abbatissa, quæ sponsalium instrumentum cum educanda fieri permittit ad crates, deponitur ab officio, voceque activa et passiva privatur: dicta Cong. in Assisien. 20. Septemb. 1599. Ordinarius autem habita notitia, quod educanda contraxerit sponsalia, debet eam a clausura dimittere, ita decrevit ead. Cong. in Placentina 13. Januar. 1635.

153. Danturne alii casus, in quibus educanda sit dimittenda?

Maxime; et I. dimittendæ sunt puellæ, si sine facultate speciali receptæ sint ante septimum annum completum, vel si compleverint annum xxv. uti pluries decrevit S. Cong. et signanter in Campanien. 11. Decemb. 1648. II. Si alimenta non solvant; ead. Cong. 11. Decemb. 1648. III. Si detegantur energumenæ; dicta Cong. in Ferrariens. 12. Jan. 1612. IV. Si gravidæ detegantur, et multo magis si pariant; ead. S. Cong. in Mediolan. 10. Feb. 1651.

154. Cogentes puellam ad ingressum monasterii causa educationis num peccent?

Vel puella est impubes, et potest licite cogi ab omnibus, qui in eam habent potestatem dominativam. Si vero est pubes, et cogentes peccant, etiamsi sint parentes; quia non potest puella cogi ad tam arctam et rigidam custodiam, nisi ob aliquam circumstantiam talis ingressus censeatur moraliter necessarius ad custodiam puellæ.

155. Dato, quod peccant cogentes puellas puberes ad ingressum monasterii, num incidant in excomm. a Trid. latam contra cogentes ad monasterium?

Litigium est inter DD. Sed videtur probabilior sententia affirmativa; nam per illum ingressum datur occasio, ut postea puella monasterium ingressa suscipiat habitum involuntarie.

156. Quid si aliqua educanda in monasterio ægrotet cum periculo vitæ, an possit testari, si velit?

Maxime; et Ordinarius concedere debet licentiam Notario et testibus ingrediendi clausuram, sic declaravit S. Cong. Cardinalium 1595.

157. Et ubi est sepelienda, si decedet?

Quamvis de hac re in diversas abierint Theologi sententias, tamen novissime fuit quæstio resoluta a S. Congreg. Concil. in Feretrana 11. Apr. 1742. quæ definivit, educandas decedentes in monasterio, non sibi electa sepultura, sepeliendas esse in Parochia, in qua situm est monasterium, si non habeant sepulcrum majorum: sed si elegerint sepulturam in monasterio, posse ibi sepeliri.

158. Quid si aliqua ex educandis velit postea ad habitum Religionis transire, num possit ad illum admitti sine alio requisito?

Minime; sed requiritur denuo consensus Superioris, et monialium per secreta suffragia; uti pluries ead. S. Cong. decrevit, et signanter in Placentina 6.Feb.1615.Insuper requiritur, ut Episcopus, vel ejus deputatus exploret, an coacta vel seducta sit, an sciat quid agat juxta Trid. sess. 25. de Reg. et Monial. cap. 17, et hoc est servandum etiam in monasteriis Regularibus subjectis, uti sæpius declaravit S. Cong. Concilii, et signanter die 13. Novembris 1627.

159. *An mulieres nuptæ, viduæ, vel famulæ possint in monasteriis monialium recipi?*

Mulieres nuptæ, et viduæ, quæ volunt permanere in habitu laicali, nequeunt, nec etiam de licentia Ordinarii, in monasteria introduci. Famulæ vero, seu ancillæ possunt de sola licentia Ordinarii, sed tantum in casu necessitatis, et in obsequium ipsius monasterii, non vero pro servitio alicujus monialis particularis: ex pluribus decretis S. Cong. Episc. et Reg. et signanter in Neapolitana 12. Aug. 1585.

160. *Utrum educandæ possint licite ad crates monasterii musicam, seu cantum figuratum addiscere?*

Minime; uti ead. S. Congreg. decrevit.* Immo in nostra Diœcesi adest pœna excommun. ferendæ sententiæ non solum contra educandas, sed etiam contra permittentes facultatem hunc cantum in monasteriis degentes edocendi: ex nostra Syn. de Sanctimon. part. 4. n. 5. *

QUOAD EA, QUÆ RESPICIUNT CONFESSARIORUM APPROBATIONEM PRO MONIALIBUS.

161. *Confessarius generaliter approbatus in diœcesi potestne valide audire confessiones monalium sine alia approbatione?*

Minime; sed requiritur specialis approbatio ab Ordinario loci, sive monasteria subjecta sint sibi, sive Regularibus: ita statutum est a Clem. X. in const. *Superna*, et a Greg. XV. in const. *Inscrutabili*, a Bened. XIII. confirmata in bulla *Pastoralis* 27. Martii 1726.

162. *An ipsi Prælati Regulares, Generales, vel Provinciales indigeant approbatione Episcopi pro excipiendis confessionibus monialium, quæ sub gubernatione eorum existunt?*

Minime; nam sunt veri Parochi earum monialium, ideoque habent circa eas jurisdictionem ordinariam. Sic videtur definitum contra alios contrarium sentientes a Bened. XIV. in bulla *Pastoralis officii*.

163. Num Confessarii ab Episcopo approbati ad audiendas confessiones monialium unius monasterii, censeantur approbati pro monialibus alterius monasterii?

Minime; uti patet ex cit. const. *Superna* Clem. X. nec semel approbati censentur semper approbati. Excipitur tamen tempus Jubilæi, in quo possunt moniales Confessarium eligere ad audiendas earum confessiones, etiam semel approbatum ab Ordinario pro monialibus, nisi constet eundem Confessarium fuisse postea ab eodem Ordinario positive reprobatum: uti colligitur clare ex decr. Sacræ Pœnitentiariæ.

164. Confessarii extraordinarii approbati pro una speciali moniali possuntne excipere confessiones plurium monalium, saltem ejusdem monasterii?

Minime, uti patet ex eadem cit. bulla *Superna;* nam toties debent ab Episcopo approbari, quoties casus deputationis contigerit.

165. Quot Confessarii deputandi sint ad excipiendas monialium confessiones in singulis monasteriis?

Duo deputandi sunt, quorum unus, qui dicitur ordinarius, excipere debet confessiones totius communitatis; alter deputandus est ab Episcopo, vel ab aliis monasteriorum Prælatis, duobus vel tribus vicibus in singulos annos, qui omnium confessiones audit, et hic dicitur extraordinarius: ita ex decr. Trid. sess. 25. de Regul. et Monial. cap. 10. Et quamvis Concilium in citat. decr. loquatur de solis monialibus claustralibus, Clemens XI. hortatur Antistites, ut hanc disciplinæ formam observent etiam cum aliis monialibus, quæ clausuræ legibus minime adstrictæ sunt (*a*).

166. An moniales omnes ex decr. Trid. teneantur Confessario extraordinario confiteri?

Minime; nam idem Concilium declarat, Confessarium extraordinarium excipere debere confessiones earum, quæ eidem confiteri velint. Ab omnibus tamen, tam scilicet a Priorissa, ceterisque professis, novitiis, quam a sæcularibus in eodem monasterio degentibus requirit, ut singulæ extraordinario Confessario se

(*a*) Idem habetur in bulla Bened. XIV. *Pastoralis* edita die 5. Aug. 1748.

sistant, sive ad confessionem, si placuerit, sive ad salutaria monita, etiam extra confessionem accipienda (*b*).

167. *An Episcopi, aliique Rectores Religiosarum possint concedere Confessarium extraordinarium pro moniali particulari?*

Possunt ex aliqua speciali ratione, uti nonnulla decreta S. Cong. id confirmant; et approbant: immo etiam singulis monialibus, ut enixe hortatur, et monet Bened. XIV. in cit constit. *Pastoralis*, ut Prælati monialium non adeo difficile præbeant Confessarium extraordinarium peculiaribus monialibus illum petentibus; quia hæc indulgentia potest ad illarum conscientiæ quietem multum conferre.

168. *Quanto tempore Confessarii monialium durare possint in quolibet monasterio in excipiendis confessionibus?*

Confessarius ordinarius durare potest solo triennio, quo elapso non potest amplius audire confessiones in eodem monasterio absque licentia S. Congreg. aliter declaratur suspensus ab audiendis confessionibus (*c*). Extraordinarius vero pro communitate potest deputari a Superioribus quolibet anni tempore.

* DE ALIQUIBUS CASIBUS IN NOSTRA DIOECESI RESERVATIS RELATE AD MONIALES.

169. *Moniales, quæ occasione officiorum faciunt de proprio expensas vel ante, vel post suscepta officia, num incidant in aliquam pœnam?*

Maxime incidunt in excommunicationem Ordinario nostro reservatam: in quam incidunt etiam moniales in Conservatoriis, et in Oblatarum domibus degentes, uti colligitur ex nostra synodo pag. 193. n. 25.

170. *Utrum monialibus interdictum sit personas quascumque utriusque sexus in Ecclesias suas invitare prætextu alicujus festivitatis, et functionis?*

Maxime: et contra facientes incurrunt etiam excommunicatio-

(*b*) Sic etiam statuit Bened. XIV. in cit. bulla *Pastoralis*.
(*c*) *Ex plur. declaration. S. C.*

nem Ordinario nostro reservatam; quæ excomm. contrahitur etiam a qualibet persona, sive laicus sit, sive Ecclesiasticus, cujus opera invitationes fiunt: ita statutum est in nostra synodo pag. 125. n. 4.

Advertendum, quod isti casus, invitationes scilicet, et expensæ non continentur in generali concessione absolvendi a casibus ab Ordinario reservatis; sed indigent speciali concessione, uti patet ex declatione ejusdem Synodi pag. 72. n. 38.

171. *Num loquentes sine licentia nostri Ordinarii, ejusve Vicarii cum aliqua in monasteriis degente peccent, et incidant in aliquam pœnam?*

Maxime, et quidem graviter peccant, et incidunt in excomm. Ordinario nostro reservatam, sive locutio sit de indifferentibus, sive de obscenis: uti patet ex casu quinto in nostra tabella.

172. *Num adsit aliquod discrimen inter ambas hasce locutiones, quæ in hoc nostro synodali statuto prohibentur?*

Maxime; nam a locutione de indifferentibus eximuntur consanguinei in primo, et secundo gradu, uti constat ex verbis casus, eximuntur mulieres, et qui loquuntur cum monialibus ad breve tempus: secus dicendum de alloquentibus cum monialibus de obscenis. 2. Locutio de re indifferente comprehendit loquentes tantum cum commorantibus in monasteriis: et de obscenis etiam in conservatoriis, et collegiis. Prima agit de loquentibus: secunda de agentibus etiam coram eisdem. Prima respicit tantum præsentes: secunda etiam agentes per litteras, et internuncios; et non solum comprehendit mittentes, sed etiam deferentes, licet in eodem monasterio commorantes, modo litteræ pervenerint ad quam missæ sunt. Denique excommunicatio per locutionem de re indifferente cum moniali non est specialiter nostro Ordinario reservata: at excommunicatio ob turpia Ordinario est specialiter reservata, quando hæc turpia dicuntur aut aguntur aut scribuntur ad degentes in monasteriis; uti patet ex tabella.

173. *Num Regulares, et peregrini hujus statuti sanctione, ac pœna teneantur?*

Maxime; quia in hoc statuto Ordinarius se gerit uti sedis Apostolicæ Delegatus; ideoque ad istud servandum omnes tenentur.

In præcedente appendice diffusior data est hujusmodi casus enucleatio.

INDEX

TRACTATUUM, CAPITUM etc.

QUÆ IN HOC QUARTO VOLUMINE COMPLECTUNTUR.

APPENDIX II.

DE VARIIS DIVERSORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS.

APPENDIX III.

APPENDIX IV.

APPENDIX V.

APPENDIX VI.

DE TESTAMENTIS.

APPENDIX VII.

APPENDIX VIII.

TRACTATUS XIV.

REPERTORIUM
LOCUPLETISSIMUM
OMNIUM RERUM
QUÆ IN OPERE CONTINENTUR
ORDINE ALPHABETICO DIGESTUM.

Nolite mirari, quod in hoc repertorio compilando ad tam minuta descenderim: ea mihi adfuit ratio, non solum nempe materias citare in opere comprehensas; sed et arctam præbere epitomen, qua qui operi ipsi jam vacarunt, perceptas doctrinas breviter possent in memoriam reducere. Qua de re omnia, ubi paucis potui verbis, singulatim expressi.

NOTÆ AD REPERTORII INTELLIGENTIAM.

Numerus romanus indicat tractatum: littera A. ante dictum numerum denotat esse appendicem citatam. Numerus vero arabicus indicat quæsitum tractatus vel appendicis: aliæ citationes ad notas vocant in opere subjectas.

Per	*Intelligatur*
=	Videatur *aut* Videantur.
inc. cas. O. *vel* P. res.	incurrit casum Ordinario *vel* Papæ reservatum.
inc. excomm. O. *vel* P. *vel* n. res.	incurrit excommunicationem Ordinario, *vel* Papæ, *vel* nemini reservatam.
n.	numero
Adhibetur particula	*quando est*
An	quæstio.
Utrum	distinctio.
Num	partim certum, partim quæstio.
Numne	partim distinctio, et partim subdistinctio.
Numnam	plures partes subdistinctæ.

Demum inter duos * . . . * comprehensa, sunt de jure Neapolitanæ Ecclesiæ.

A

B

C

C

D

E

bet esse benedictum ex necessitate præcepti, et probabilius etiam ex necessitate Sacramenti 83. cum (✠✠): nonnulla notantur de oleo, ejusque benedictione ibid. in (39 ✠), et nonnulla de materia proxima, seu de unctione ibid. ibid. Hujus Sacramenti forma 84. quænam verba sint de essentia? ibid. in (40): verius non valet forma indicativa, vel imperativa 85. Hujus Sacramenti effectus sunt quinque 86. cum (41): quid intelligatur per peccatorum reliquias? 87. Hoc Sacramentum potest iterari 88. et quandonam eidem infirmo? 89. cum (✠). Ejus minister solus Sacerdos 90. habenda est licentia Parochi ibid. in (42): nonnulla notantur de ejus administratione ibid. ibid. Infirmi, de quorum morte timetur, possunt hoc Sacramentum recipere 91. plures casus practici ibid. in (✠). Dispositiones in suscipiente 92. De hujus Sacramenti necessitate ibid.

F

FALSARII monetarum in quas pœnas incidant? IV. 294. (79). Scripturarum quas pœnas incurrant? 151. et 152.

FALSUM deponentes = MENDACIUM, et RESTITUTIO n. 13.

FAMA = DETRACTIO.

FAMULUS. Cooperans peccato heri IV. 93. (✠) 3. 4. et 8. 94. et 95. = SCANDALUM. Surripiens de esculentis domini = FURTUM. Utrum possit compensari etc? = RESTITUTIO n. 18.

FASCINATIO VII. 141. in (✠).

FESTORUM OBSERVANTIA. Præceptum servandi dies festos est naturale quoad substantiam, positivum quoad determinationem A. III. 1. est positivum et negativum simul 3. non præcipit cultum internum 4. obligat sub gravi 5. quomodo sit hujus præcepti dies computandus? 6. tenentur hoc præcepto fideles rationis compotes 7. cum (✠): obligat ad audiendum Sacrum, et ad abstinendum a servilibus 8. Quinam possint instituere dies festos? 2.

2. Præceptum audiendi Sacrum quoad substantiam videtur divinum, immo naturale; quoad determinationem est ecclesiasticum 9. Adsistentia ad hoc præstanda 10. quinam præcepto satisfaciant vel non ratione hujus adsistentiæ? ibid. in (✠). Attentio est interna vel externa 11. probabilius requiritur etiam interna 12. cum (3). Non satisfacit, qui duas dimidias missas audit a duobus Sacerdotibus 13. Quæ omissio sit gravis? 14. (✠): omittens levem partem, probabilius tenetur eam supplere 15. qui non potest totam, tenetur missæ partem, quam potest, audire 16. Excusat ab isto præcepto impotentia physica vel moralis 17. Quinam exenseutur impotentia physica, quinam morali? ibid. in (✠): non potens missam audire, non tenetur id temporis orationi vacare 18.

3 Præceptum abstinendi a servilibus est divinum quoad substantiam, ecclesiasticum quoad determinationem 19. opera sunt vel servilia, vel liberalia, vel media seu communia 20. a quibus sit in festis abstinendum? 21. plurima ad praxim notantur ibid. in (✠): forensia, etsi non servilia, prohibentur in festis 22. Causæ a præcepto excusantes sunt septem 23. Quinam possint in hoc præcepto dispensare? 24. Quænam consuetudo excuset? 25. quinam ex consuetudine excusentur? ibid. in (✠): quænam servilia permittat pietas? 26. quænam permittantur ex hac

G

H

I

a lacticiniis et ovis obliget sub gravi? 10. cum (*4*) et (*5*): quid sit de feria sexta et sabbato cujusque hebdomadæ? 11.cum(*6*): quid, si dictis diebus cadat Nativitas D.N. J.C.? ibid.ibid. Quandiu liceat prandium protrahere? 12. unica comestio potest dividi justa de causa 13. per quantum temporis interrumpatur? 14.qui jejunii immemor mane comedit, tenetur ab alia refectione se abstinere, si commode possit 15. non contra jejunium,sed contra temperantiam peccat, qui semel comedit, sed usque ad ingluviem 16. Potiones non frangunt 17. quænam habeant potionis rationem? ibid. in (✠): nec frangit sumtum per modum medicinæ ibid. ibid. Hora Sexta est comestionis faciendæ 18.qualis anticipatio sit notabilis et gravis? 19. cum (✠✠).Est licita cœnula serotina 20. hujus cœnulæ quantitas 21. cum (7 ✠): quid de vigilia Nativitatis Domini? ibid. ibid. qualitas dictæ cœnulæ 22.cum (✠✠): licet mutare refectiunculam in meridie etc. stante justa causa 23.In sabbato anticipatur jejunium, si vigiliæ incidant in dominica; et vigilia S. Joannis Baptistæ anticipatur in feria quarta, quando incidit in die Corporis Christi ibid. in (*8*).

2. Causæ excusantes a jejunio sunt Dispensatio, Impotentia, Labor, et Pietas 24. Quinam possint dispensare? 25. dispensatus a parte jejunii tenetur sub gravi ad reliquas partes 26. praxis ad rem ibid.in(✠): dispensatus ad carnes vel lacticinia, non potest ipsis vesci in cœnula 27. dispensatus ad carnes non potest in eadem mensa commedere carnes et pisces 28. at probabilius non est hoc de feriis sextis et sabbatis cujusque hebdomadæ ibid. in (*10*): neque de dispensato ad jusculum carnis ibid.ibid. neque de dispensatis ad lacticinia vel pinguedinem 29. dispensati ad lacticinia possunt tota die eis vesci in dominicis quadragesimæ;idem probabilius tenendum de dispensatis ad carnes 30. concessione ovorum et lacticiniorum non intelligitur usus pinguedinis; excipe si adsit consuetudo diversa 31. quid dicendum de privilegio Cruciatæ? 32. cum (*11*): Quænam impotentia excuset? 33. quinam excusentur ex impotentia? ibid. in (✠): quid de illo, qui vovit jejunare etc. tota sua vita? ibid.in(*12*). Quinam excusentur ob laborem? 34.cum (*13*). Quinam ratione pietatis? 35.

3. Jejunium naturale ad Eucharistiam est de jure ecclesiastico tantum 36. in quo consistat? 37. non admittit parvitatem materiæ 38. tria requiruntur ad hoc jejunium frangendum 39. quænam res rationem habeant cibi vel potus? 40. plurima ad praxim utrum frangant vel non jejunium?39. in (✠) et (✠✠), ac 40. in (✠). An liceat inter plura horologia dissonantia ultimum sequi etc? 41. cum (*14*). Potest communicare qui post comestionem non dormierit, vel non sit digestus etc.42.An possit communicare qui dubitat de fractione jejunii? 43.est veniale sine causa statim post Communionem manducare vel bibere 44. In quinque casibus potest quis communicare non jejunus 45. an possit Sacerdos non jejunus celebrare ad ministrandum viaticum? 46.

IGNAVIA quid? A. I. 25. quale vitium? 26.

IGNORANTIA quid? I.38.differt ab errore, et inadvertentia ibid. (*6*): est negativa, privativa, vel positiva: juris, facti, vel pœnæ: invincibilis vel vincibilis: antecedens, concomitans, vel consequens: vincibilis est crassa seu supina, vel affectata 39. utrum tollat voluntarium? 40. utrum detur invincibilis in jure naturæ? 43. in jure divino? 45. in proprio statu, officio etc? 47.dari potest invincibilis in jure humano 46. invincibilis, non vincibilis, excusat a peccato formali 41. a jure naturæ 44. a lege positiva 48.et a pœna 49.et(*10*): ignorantia solius pœnæ non excusat ab ea, nonnullis casibus exceptis 50. invincibilis de censura excusat ab ea, et aliquando etiam supina, nunquam affectata 51.52. et (*10*) ac (*11*): numne excuset a reservatio-

L

M

præsentantes; insuper Clerici remanent a suscepto ordine suspensi 153.

MERX = Emptio Venditio.

METUS quid? I. 24. differt a vi 25. est ab intrinseco vel ab extrinseco, gravis vel levis, antecedens vel concomitans: ab extrinseco est justus aut injustus: gravis est absolutus vel respectivus 26. conditiones ad gravem 27. minuit voluntarium 19. Qualis metus reverentialis 28. utrum sit gravis 29. Utrum metus excuset a peccato? 30. numnam a præceptis naturalibus? 31. per se excusat a præceptis positivis 32. aliquando non ibid. num a censuris 33. utrum a reservatione 34. et (✠✠). Metus gravis irritat votum, habitis conditionibus 35. an irritet juramentum promissorium 36. = Contractus n. 2.

Metum incutiens ad quid teneatur? 37.

MINISTER Sacramentorum = Sacramentum n. 3. et quodlibet Sacramentum in specie.

MINOR = Contractus n. 3. Mutuum. Quid debeat suo tutori vel curatori? A. II. 35.

MISERICORDIA quid? VI. 116. est spiritualis vel corporalis 117. actus spiritualis sunt septem 118. item septem actus corporalis 119.

MISSA = Eucharistia prout est Sacrificium. De præcepto audiendi Missam = Festorum observantia n. 2.

MODESTIA quid? A. I. 19. necessaria ad Castitatem servandam A. VII. 80.

MODUS in legis adimpletione = Lex n. 5.

Modus in contractu = Contractus n. 5. in matrimonio = Matrimonium n. 3.

MOHATRA contractus = Emptio Venditio n. 4.

MOLLITIES idem est ac Pollutio.

MONIALIS = Status Religiosus.

MONOGAMIA = Impedimenta matrimonii n. 10.

MONOMACHIA idem ac Duellum.

MONOPOLIUM quid? IX. 148. quadruplici modo potest fieri 149. utrum sit licitum? 150. est licitum monopolium emptorum contra monopolium venditorum 151. non est licitum inter artifices non perficiendi opus ab alio inchoatum 152.

MONSTRUM = Baptismus.

MORALITAS ACTUS quid? I. 68. ejus species bonitas, malitia, vel indifferentia 69. indifferentia est objectiva vel subjectiva 70. actus indifferens objective datur, non subjective 71. in infantibus potest differre ab actu humano, non in adultis 72. Bonitas vel malitia desumitur primaria ex objecto, secundaria ex circumstantiis 73. et 75. aliquando primaria ex circumstantiis 74. bonitas finis extrinseci minuit, non tollit malitiam pravæ actionis 76. circumstantia leviter mala utrum tollat bonitatem actionis 77. actus exterior non addit interiori novam bonitatem vel malitiam in specie, sed in intensitate; quare in Confessione exprimendus 78. = Circumstantia, Species peccati.

Moralitatis principia sunt objectum et circumstantiæ I. 73. (18). Moralitatis regulæ sunt lex, et conscientia 79.

MORIBUNDUS quomodo sit absolvendus? = Poenitentia n. 4. Presbyteratus n. 2. Reservatio n. 2.

MORTIFICATIO = Directio Animarum etc. n. 2.

MULIER. Peccat acceptans munera ab eo, a quo scit turpiter amari IV. 93. (✠) 7.

MUTILATIO quid? IV. 296. quoad reliqua = Homicidium, Irregularitas n. 2. Restitutio n. 13.

Mutilatio in loco sacro = Sacrilegium.

MUTUATOR dans mutuum abusuro IV. 93. (✠) 9.

MUTUS = Restitutio n. 9.

MUTUUM quid? IX. 261. quinam Mutuator, quinam Mutuatarius? ibid. mutuum est expressum vel tacitum 262. quænam possint in mutuum dari? 263. adest obligatio mutuandi, datis circumstantiis 264. quatuor sunt mutuatoris obligationes 265. ad quid teneatur mutuatarius? 266. de mutuo dato filiofamilias, minori, uxora-

N

O

ma voluntaria: proxima necessaria facienda remota adhibitis mediis 57. 58. et 59. quænam ista media? 57. in (*): non licet directe quærere proximam ob bonum 60. Occasionarius numne absolvendus? 61. cum (**) = SCANDALUM.

P

est expressus seu directus, et implicitus seu indirectus 8. sufficit indirectus 9.

2. Quid peccatum mortale? 10. quid veniale? 11. in quo conveniant? 12. in quo differant? 13. Dantur mortalia, et venialia 14. mortale aut veniale potest esse per se, vel per accidens 15. tribus de capitibus mortale transit in veniale 16. peccata quæ non admittunt parvitatem materiæ 17. et 18. septem de capitibus veniale transit in mortale 19. ex pluribus venialibus aliquando fit mortale 20. et III. 51. et 52. Quibus modis remittantur venialia IV. 21. = Sacramentalia.

3. Quid species peccati? 24. peccata non sunt ejusdem speciei 25. distinctio specifica desumitur ex oppositione ad virtutes 26. aliquando ex diversitate præceptorum 27. aliquando ex circumstantiis 28. Peccata numero distinguuntur 29. unde desumatur distinctio numerica? 30. actus interni quando sint interrupti? 31. quadrupliciter interrumpuntur 32. per quam temporis moram? 33. an per cessationem involuntariam? 34. peccata cordis, oris, et operis circa idem utrum distincta numero? 35. actus post peccatum completum an ab isto distincti? 36.

PENSIO in beneficiis quid? VII. 159. est laicalis, clericalis, vel mixta 160. pensionem obtinens ad quid teneatur? ibid. in 47. = Simonia n. 3. Subdiaconatus n. 3.

PERCUSSIO CLERICI etc. = Excommunicatio n. 9.

PEREGRINUS = Baptismus, Dispensatio, Lex n. 3.

PERFECTIO CHRISTIANA = Directio Animarum etc.

Perfectio, ad quam tendere debent Religiosi, et Moniales = Status Religiosus n. 3.

PERMUTATIO quid? IX. 83. differt ab emptione venditione ibid. moderatur iisdem fere regulis, ac emptio venditio ibid.

PERMUTATIO beneficii quid? VII. 165. tres conditiones ad eam requisitæ 166. = Simonia n. 3.

PERSEVERANTIA quid? A. I. 24.

PERSONATUS in beneficiis VII. 158. in (44).

PERTINACIA quid? IV. 337. qualis peccatum? 338.

PERTINACIA in hæresi quid? VI. 33. in (4).

PETITIO = Oratio n. 1. et 4.

PHARMACOPÆUS ad quid teneatur? A. II. 60. quomodo peccare possit? ibid. in (+).

PHILTRUM AMATORIUM quid? VII. 143. triplex continet peccatum 144.

PHYSIOGNOMIA quid? VII. 131. est graviter peccaminosa 138.

PIETAS quid? A. I. 28.

PIGNUS quid? IX. 292. in (97). obligat de culpa levi ibid. ibid. debitor est dominus pignoris ibid. ibid. = Usura n. 3.

POENA = Ignorantia.

POENÆ CANONICÆ præcipuæ septem V. 1. tres tantum sunt censuræ 2. et (1).

POENITENTIA unde dicta? XI. 1. potest accipi uti virtus, et uti Sacramentum; in utroque sensu definitur 2. in quo conveniant, et distinguantur virtus, et Sacramentum? 3. est verum Sacramentum 4. de necessitate medii in re vel in voto lapsis post baptismum 5. quando dicatur in voto? 6. tribus in actibus habetur hoc Sacramentum in voto 7.

2. Hujus Sacramenti materia est remota, vel proxima 8. proxima sunt peccata post baptismum 9. quæ peccata triplici modo possunt esse hujus Sacramenti materia, scilicet necessaria et sufficiens; necessaria et non sufficiens; sufficiens et non necessaria 10. non est materia peccatum originale, neque personalia ante baptismum 11. neque de originali habenda est pœnitentia uti virtus, maxime de personalibus 12. an sint materia peccata commissa in ipsa baptismi susceptione? 13. venialia sunt materia sufficiens, non necessaria 14. peccata rite absoluta possunt esse materia novæ absolutionis 15. neque per se in confitendo ista peccata manifestandum est fuisse alias absoluta etc. 16. peccata dubia utrum sint materia? 17. cum (4): quænam peccata sint

P

sioni est conscientiæ examen præmittendum 78. quale esse debeat? 79. Modus practicus examinandi conscientiam = in fine hujus tractatus. Est absolvendus moribundus, qui non potens loqui dat signa pœnitentiæ 80. etiamsi signa sint dubia, at sub conditione 81. item, si nulla dederit signa 82. item probabiliter, si in actu peccati fuerit sensibus destitutus ibid. in (13). Qui invalidam fecit confessionem, utrum cum illa alias subsequentes debeat renovare? 83. quomodo possit renovari invalida confessio apud eundem Confessarium? ibid. in (14). Valet confessio publica 84. Confessio fieri debet Sacerdoti præsenti 85. cum (15): at sufficit præsentia moralis etc. 86. Excomm. P. res. contra Confessarium, pœnitentem, docentes etc. confessionem etc. per litteras etc. 87.

5. Quid Satisfactio? 88. est vindicativa, vel medicinalis; personalis, realis, vel mixta; in voto, vel in re 89. satisfactio in voto est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ, in re est integralis 90. Confessarius tenetur eam imponere 91. quænam sit imponenda? ibid. in (16): quando pœnitens possit eam non acceptare? ibid. ibid. licet dare absolutionem moribundo absque satisfactione 92. et (17): impositio satisfactionis præcedere debet absolutionem 93. quid, si Confessarius obliviscatur satisfactionis imponendæ? 94. an sit imponenda nova satisfactio pro nova absolutione statim post aliam danda? 95. Confessarius non tenetur habere distinctam peccatorum notitiam in imponenda satisfactione 96. quænam opera imponenda pro satisfactione? 97. cum (18): non possunt imponi opera aliunde debita, nisi quando alia præstari nequeunt 98. utrum possit imponi pœnitentia publica? 99. quomodo peccet pœnitens satisfactionem non adimplens? 100. cum (20): quo tempore sit adimplenda? 101. cum (21): probabilius non requiritur status gratiæ in satisfactione adimplenda 102. non potest adimpleri per alium 103. non potest pœnitens, ne in meliorem quidem, illam commutare 104. potest tamen commutare Confessarius, licet sit ab alio Confessario imposita 105. quamvis sit præservativa 106. probabilius non potest Confessarius inferior commutare pœnitentiam a superiore impositam ob peccata vel censuras reservatas 107. facta legitima commutatione, probabilius nequit pœnitens priorem pœnitentiam eligere, casu excepto 108. pœnitens, qui est oblitus pœnitentiæ impositæ, utrum teneatur repetere confessionem etc? 109. Satisfactio non est necessario implenda ante absolutionem 110. potest tamen aliquando Confessarius hoc exigere 111. non est implenda, si absolutio fuerit nulla 112. Tres sunt præcipui satisfactionis effectus 113. potest satisfactio applicari aliis, etiam defunctis 114.

6. Quænam sit forma hujus Sacramenti? 115. et XII. 196. quænam verba sint de essentia? XI. 116. cum (25): aliæ preces non sunt necessariæ 117. absolutioni a peccatis præmittenda est absolutio a censuris, excepta suspensione, et interdicto generali etc. 118. potest unica absolutione absolvi a censuris, et a peccatis 119. item plures absolvi ibid. in (26): absolutio invalida esse potest vel ex parte Confessarii, vel ex parte pœnitentis ibib. ibid.

7. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos habens jurisdictionem 120. obligantur Sacerdotes hoc munus exercere ibid. in (27): Ecclesia supplet jurisdictionis defectum, quum habetur titulus coloratus cum errore communi, vel mortis articulus 121. quando habeatur titulus coloratus? 122. quando error communis? 123. solus titulus coloratus non sufficit: an sufficiat solus error communis? 124. Sacerdos absolvens titulo colorato et errore communi peccat graviter 125. quid articulus, quid periculum mortis? 126. probabilius suppletur jurisdictio etiam in periculo 127. non potest Sacerdos simplex absolvere in

